



Sammelband

M. 27  
15.







Scopus Campanellae fuit Regi  
Hispan. praescribere, quomodo  
amplificandi occasiones Impere-  
rii omiserit, et quomodo eas  
rursus captare debeat, videtur  
autem illi non semel ostende-  
re vias, quas ingredi Hispano  
jus non est. Machiavellum  
pietatem duntaxat et censu-  
ria virgula notat, sed in eodem  
libro haeret, et Machiavelli gla-  
dio se ipsum jugulat. V. Politica (An-  
pag: 90.

Campanella sit ce liore pendunt  
quod ibi etoite prisonnier a Na-  
ples, ou ibi resta vingt huit  
ans. Maledaena p. 6.
















KK DE 674<sup>2</sup>  
JURE MA-  
RITIMO,  
COMMENDATIO  
AD  
MODERNUM RE-  
RUMPUBL. STATUM,  
OPERA ET STUDIO  
D. GEORGI JACOBI

LEICKHERRI,  
Confil. Elect. Saxon. & Ca-  
non. Wurz.

---

DRESDÆ,

Sumptibus Michaëlis Güntheri,

Anno 1685.

Literis Bergenianis.



DE  
TERRA  
RITMO  
COMMENTATIO  
MICHAELIS  
RIMBOLDI  
OPERA  
LEONARDI  
LEICHTENBERGII  
Comit. Elec. Saxon. & Ca.  
D. R. 1700  
Emporium Michaelis  
Anno 1700  
Littera Bergmann

q  
te  
m  
do  
q  
it  
ta  
er  
M  
sa  
m







AD  
LECTOREM.

**N**illum profectò jus est,  
presertim quod sibi  
separatim Reges aut  
Principes vindicant,  
quod non suos in utramque par-  
tem invenerit assertores, ut non  
mirum sit, hanc nobilissimam de  
dominio maris materiam suos  
quoque reperisse Defensores, suos  
item Oppugnatores, & quidem  
tales, qui applausum totius Orbis  
eruditione sua sibi compararunt.  
Merito igitur temeritatis accu-  
satus essem, quod hoc thema à  
multis Principibus & Rebus pu-  
blicis



## PRÆFATIO.

blicis non solum calamo, sed & gladio agitatum ventilare & defendere ausus fuerim, nisi solum exercitii gratia Spartam hanc in me suscepissem. Quod si industria mea voto Tuo, LECTOR BENEVOLE, minimè respondebit, ut hanc meam tenuitatem Tuo sublevare favore, & in quibus fortè erraverim, benevolentia Tua contegere velis impensè rogo, quam indulgentiam argumenti dignitas difficultasque & dissentientium multitudo suo quodam merito, ut existimo, sibi postulare queunt.

••)O(••

IN.



*INDEX CAPITUM.*

CAP. I.

De divisione juris in obligativum & permissivum, dominiis maris origine & ejus definitione.

CAP. II.

De probatione dominiis maritimi ex jure divino.

CAP. III.

De complurium Gentium Populorumq; moribus, qui maris imperium obtinuerunt & inde allatis testimoniis.

CAP. IV.

De probatione dominiis maritimi ex jure civili Romano & L. 9. ad L. Rhodiam de jactu.

✠ 3

CAP.



*INDEX CAPITUM.*

*CAP. V.*

Respondetur Objectioni de natura maris fluxili & perpetuo mutante, ejusque magnitudine & inexhausta abundantia.

*CAP. VI.*

Objectis de finium & terminorum Maris defectu respondetur.

*CAP. VII.*

Respondetur ad Objectionem de libero Mercatoribus, peregrinis, & navigantibus, transitu.

*CAP. VIII.*

Ad Objectiones reliquas tum ex S. Literis, tum ex Jure civi-



INDEX CAPITUM.

civili Romano & aliunde de-  
promptas, inprimis autem  
Hugonis Grotii & Ferdinan-  
di Vasqvii sententiis adver-  
fantibus respondetur, & pri-  
mæva illa bonorum com-  
munio rejicitur.

CAP. IX.

De modis acqvirendi im-  
perii maritimi.

CAP. X

De modis retinendi impe-  
rii maritimi Classe & Magi-  
stratibus.

CAP. XI.

De modis retinendi impe-  
rii per actus imperativos,  
qua-



*INDEX CAPITULI.*

quales jubere vela demitti,  
angariæ, jus portus.

*CAP. XII.*

De imperandis vectigali-  
bus, jure stapulæ & simili-  
bus.

*CAP. XIII.*

De actibus imperii prohi-  
bitivis.

*CAP. XIV.*

De actibus imperii puni-  
tivis.



*CAP.*





## CAP. I.

*De divisione juris in obligativum & permissivum, domini maris origine & ejus definitione.*



Mne jus nostrum, quo utimur, aut obligativum est si-ve præceptivum, aut permissivum si-ve concessivum.

Obligativum in iis quæ vel jubentur vel vetantur, ut suum cuique tribuere, neminem lædere & similibus consistit, permissivum autem in eis quorum nec jubetur usus nec vetatur sed

A

tan-



tantum permittitur, quemadmo-  
dum in ipso emtionis venditio-  
nis, manumissionis actu, in con-  
trahentium conditionibus pro  
eorum arbitrato contractui ad-  
jici solitis & id genus aliis videre  
licet. Obligativum sive ex natu-  
ralis rationis lumine seu recto  
rationis usu manifestum sit, sive  
divinis in eloquiis scripto man-  
datis praestitutum apud omnes  
homines immutabile habetur,  
& de hoc pronuntiatum illud as-  
seritur, *jura naturalia esse immu-  
tabilia §. sed naturalia f. de J. N.  
G. & C.* Id quod de permissivo  
live naturali sive divino ad hu-  
manum genus universum per-  
tinente dici nequit. Hoc enim  
variatis esse mutabile, quia per-  
missivum est, nemo non videt,  
deoqve obrogationes, abroga-  
tio-



tiones, temperamenta id est mutationes in dies recipere. Cum interea obligativum genus incrementa seu additiones, ( utpote quibus sive firmitus, sive decentius observari possit ) non mutationes, quibus ullatenus vis ejus minuatur, admittat. Ex hac mutatione juris Gentium universalis seu naturalis, quod permissivum est sicut omnis rerum proprietas seu dominium oritur, ita & nostrum maris imperium manat, quod nihil aliud quam jus absolutum & independens ferendi leges, constituendi magistratus, & jus reddendi per suam cujusque ditionem maritimam, illamque tuendi esse statuimus. *Str. diff. de dom. mar. c. 3. th. 11. Coar. de ced. mat. th. 7. Moriset. in Orb. manat. lib. 2. c. 18. p. 163.*



CAP. II.

*De probatione dominij maritimi  
ex jure divino.*

**J**Am ergo maris dominium  
privatum quam telluris agno-  
scimus, nec ullum omnino juris  
genus recte intellectum nec i-  
psam oceani naturam ejus impe-  
rio refragari demonstrabimus.  
Quod enim ad jus divinum atti-  
net in eo quæ pro dominio ma-  
ris haud parum faciunt planissi-  
me reperiuntur, & ex primaria  
illa rerum post diluvium dona-  
tione, qua Noachum atque po-  
steros ejus ditavit Numen, &  
non solum animalium terræ, vo-  
lucrumque cœli, verum & tellu-  
ris universæ, (eujus orbis pars  
sunt ipsa maria) aërisque con-  
termini dominium concessit, sa-  
tis



tis patet. Verba etenim gen. 9. 2. pavor vester & tremor vester etiam in omnes pisces maris, & gen. 1. 26, implete terram & subjicite eam id est dominamini in piscem maris & in voluerem caeli, & in omne animans quod reptat super terram nihil aliud quam dominium indicant. Sic Ezechiel c. 26. inquit: descendent de solis suis cuncti domini seu Principes maris & c. Levabunt proinde super tellamentum & dicent. tibi, quomodo periisti, quae habitas in mari! urbs inclyta, quae fuisti fortis in mari, ubi dominium marinum Tyrriorum aperte indicatur, & in c. proxim. 27. 3. in medio seu corde maris sunt termini tui, & sequitur, omnes naves maris cum Gubernatoribus earum fuerunt tuae ad negotiandam ne-



*gotiationem tuam.* Rursus eo  
 quod exactatum est coruum &  
 dixisti, Deus ego sum; in cathedra  
 Dei sedi in corde maris, imo & ip-  
 sum mare & fortitudo maris ab  
*Esaiâ 23, 4.* nuncupatur in sacris  
 literis Tyrius. De mari quoq;  
 Ægyptiaco *Nahum 3, 9.* sic in-  
 quit; num meliores Alexandria  
 populorum quæ in fluminibus ha-  
 bitat, & sunt aquæ in circuitu e-  
 jus, cujus divitiæ, robur, seu (ut  
 Græci habent,) imperium sive  
 dominium est mare. Quia Re-  
 gum tam maris quam insularum  
 mentio fit *Psalms 72, 10.* Reges  
*Tharsis & insulæ dona afferent.*  
 Tharsis enim Hebræis mare de-  
 notare ab interpretibus tam  
 Græcis quam Chaldæis aliquo-  
 ties agnoscitur. Ita dominium  
 marinum Deum ter optimum  
 Ma-



Maximum Regi Davidi assignaf-  
se ex *Psalms* 89, 25. notatur, cu-  
jus verba hæc sunt. *Ponam*  
*manum ejus in mari, & dextram*  
*ejus in fluminibus, ut dominare-*  
*tur in eos, qui sive per mare sive*  
*per flumina navigarent. Et*  
*Esdr. lib. 3. 4. O virinum præcel-*  
*lunt homines qui terram & ma-*  
*re obtinent, & omnia quæ in eis*  
*sunt? Rex autem super omnia præ-*  
*cellit & dominatur eorum. Atque*  
*ibid. 4. 7. ad Esdram Angelus*  
*inquit: mare positum est in spati-*  
*oso loco, ut esset altum & immen-*  
*sum. Erit autem ei introitus in*  
*angusto loco positus, ut esset simi-*  
*lis fluminibus. Quis volens vo-*  
*luerit ingredi in mari & videre*  
*eum, vel dominari ejus, si non*  
*transierit angustam. Utroque*  
*in loco telluris marisque domi-*



nium pariter admittitur. De  
*Ahas* vero etiam Rege *Esth.* 10, 1.  
 memoratur eum non solum *ter-*  
*ram*, sed & *cunctas insulas maris*  
*fecisse tributarias*, ubi expressa  
 profecto dominij marini extant  
 vestigia, imo editio ex Græcis  
 Codicibus depromta expressius  
 & ita se habet: *scripsit autem*  
*Rex ad regnum terræ & maris.*  
 Nec prætereundum hic illud  
 ex benedictionibus Mosis *Deu-*  
*ter.* 33, 73. *Et Naphthali dixit,*  
*Naphthali abundantia perfru-*  
*etur, & plenus erit, benedictioni-*  
*bus domini, mare & meridiem*  
*possidebit seu hæreditabit*, quem-  
 admodum locum illum vulgat.  
 Et Græci vertunt.

CAP. III.

*De Complurium Gentium popu-*  
*lorum.*



lorumque moribus, qui maris  
imperium obtinuerunt, & inde  
allatis testimoniis.

**S**Ed satis de jure divino, nunc  
de naturali & Gentium vide-  
amus, quod dominio maris pri-  
vati non adversari tam priorum  
sæculorum historiæ quam hodi-  
erni ævi mares satis testantur.  
Sic enim *Thucydides lib. 1. hist.*  
ut & *Suidas, Cedrenus aliique*  
Minoi amplissimum maris do-  
minium tribuerunt. Sic & *Ly-*  
*di maris fuere domini test. Eu-*  
*seb. Chron. lib. 1. p. 31. & 115. n. 940.*  
Item *Pelasgi Thraces, Rhadii,*  
*Phryges, Cyprii, Phœnices, Æ-*  
*gyptii, & plures alii imperio suc-*  
*cessivo mare tenuisse narrantur.*  
De quibus omnibus videatur  
*Euseb. loc. cit.* Lacedæmonii  
quoque & Athenienses de impe-  
rio



rio maris contenderunt. *Corn. Nep. in Tymotheo.* Agathocles Siculorum Rex devictis Carthaginensibus imperio maris potitus est. *Diod. Sicul. lib. hist. 20. c. 63.* Item Polycrates superatis Lesbiiis & Milesiis dominium maris maxime affectatus scribitur *ab Herodote in Thalia.* Sic de Tyro urbe *Q. Curt. lib. 4. p. 80* ait illam non solum vicinum mare, sed quodcumque classes adierint, ditionis suæ fecisse. De mortuo Agathocle Carthaginenses dominium maris recuperarunt. *Polyb. lib. 1. hist. c. 7.* Hoc autem Romani postea controversum fecerunt, & tandem deleta Carthagine, jure belli sui juris fecerunt. *Flor. lib. 2. c. 6.* Hoc jure deinde usi sunt Romani, & exteris Regibus leges præscripserunt



ferunt in usu maris observandas. Sic *Liv. lib. 8, decad. 4.* refert leges devicto Antiocho, cui classem stratagemate ademerunt, præscriptas. Ex hoc præterea domini jure Augustus classem Myseni & alteram Ravennæ in tutelam superi & inferi maris collocavit. *Sveton. in August. c. 49.* Porro & hodie multi populi dominium marinum sibi attribuunt. Sic Veneti possessionem maris Hadriatici ad se pertinere contendunt, cujus hanc rationem affert, *Franc. de Ingen. de jurisd. Venet. in maris Hadriatico: olim ob varias populorum migrationes imprimis millenario secundo factas tam mare quam integras regiones fuisse relictas, quæ deinde primo occupanti cesserunt.* Jam Venetas ex

A 6 vici-



vicinis Italiae territoriis ab Atti-  
 la pulsos securitatis ergo Locum  
 dissitum sibi elegisse, ibique urbem  
 condidisse, & mare tum temporis  
 vacuum occupasse. Vid. Fr. de In-  
 gen. Loc. cit. p. 34. Pac. de dom.  
 mar. Hadriat. p. 8. & seq. Hinc  
 Dux eorum quotannis maxima  
 pompa annulum in mare proji-  
 cit, illudque sibi quasi matrimo-  
 nio copulat. Seld. de mar. claus.  
 lib. 1. c. 16. p. 70. Porro & Rex An-  
 gliae sibi dominium maris Bri-  
 tannici vindicat, Rex quoque  
 Hispaniae Oceani portionem, e-  
 jusdem & Rex Lusitaniae sibi a-  
 liquid vindicat, Rex Galliae par-  
 tem maris Britannici, Rex Da-  
 niae maris Balthici & Norwegi-  
 ci seu Hypertarei imperio possi-  
 dent. Turcarum Imperator  
 dominium in omne ditiones suas  
 allu-



ailuens mare sibi attribuit, atque  
 hinc se dominum maris tam al-  
 bi quam nigri nuncupat *Loriol.*  
*Lippic. de bello Asiat. lib. 2.* Rex  
 Abyssinarum seu Æthiopiæ  
 in literis ad Emanuelem Lusita-  
 niæ Regem maris Rubri Impe-  
 ratorem vocat. *Damiana Goes*  
*lib. de morib. Æthiop.* Genuen-  
 ses denique sibi imperium in ma-  
 ri Ligustico tribuunt, Thusci in  
 mari Thyrreno. Sic *Themistius*  
*de imperatore Theodosio Orat. 5.*  
 inquit: quid de eo diceres, qui  
 Imperator seu Rex est fere uni-  
 versa telluris ac maris: *Vid. &*  
*Aristides in encomio Romæ O-*  
*rat. 5.* Et *Philo Judæus* ait; glo-  
 riari non debere Principes ob de-  
 victas multas gentes, aut quod  
 omnia flumina & maria numero  
 & multitudine diffusissima in su-



am potestatem redegerint. Item  
 Xerxes ap. Herodot. lib. 7. hist.  
 Hellepontum, cui verbera infli-  
 xerat, ita alloquitur: Dominus  
 tibi hanc pœnam irrogat, & Dy-  
 onis. Halycarnass. lib. 1. Orig. Ro-  
 man. dicit. universi maris domi-  
 na est, (Roma) non solum illius  
 quod intra columnas Herculis ha-  
 betur, verum & ipsius Oceani,  
 quacunque est navigabilis. Hy-  
 perbole quidem est, attamen am-  
 plissimi saltem domini marini  
 luculentissimum testimonium.  
 Uti & illud Appiani Alexandrini  
 in præfat. maris mediterranei tu-  
 tius ferent (Romani) dominium.  
 Quin Cassandra ap. Lycophronem  
 dominium ejusmodi Populo  
 Romano fore prædixit, ubi eæ  
 telluris & maris sceptrum ac monar-  
 chiam tribuit. Sic Venus ad Jo-  
 vem



vem ap. Virg. *Aeneid.* 1. de futuro  
Romanorum imperio.

Certe hinc Romanos, olim volventibus  
annis,

Hinc fore ductores, renovata sanguine  
Teucris,

Qui mare qui terras omni ditioe te-  
nerent,

Pollicitus: quæ te, genitor, sententia  
vertit!

Et idem Poëta lib. 1. *Georgic.* de  
Augusto Cæsare.

An Deus immensi curias maris, ac Tua  
nautæ

Numina sola colant, Tibi seruiat ulti-  
ma Thale,

Teque sibi generum Tethys emat omni-  
bus undis.

Et de Scipione Africano. *Claudian.*  
*Prefat.* in lib. 3. de laudib.  
Stilic.

Ergo seu patriis primævus Manibus ultor  
Subderet Hispanum legibus Oceanum

Et



Et Oppianus ad Antoninum Imperatorem Halievt. lib. 3. Tuis enim sub sceptris seu legibus mare voluitur, & piscium turba per mare disposita. Quemadmodum & Constantinus Manomachus a Johanne Episcopo Euchaitensi Euchait. pag. 51. & Leo a Varadato Concil Chalced. part. 3. tom. 2. part. 1. Imperatores Orientis terræ marisque domini nuncupantur. Hinc Antiochus Epiphanes Syriae Rex. Joseph. Ben. Gor. lib. 3. c. 12. inquit: nonne & mare & tellus mea sunt? & in Oriente mos obtinuit veterrimus, ut, cum Reges magni gentes quasdam in suam potestatem redacturi, imperii ac domini arrhas sibi tradi imperarent, aquam & terram simul poscere solerent, tam maris quam telluris

eo-

13



eorum dominium simbolo  
 ejusmodi designari existiman-  
 tes. Ita a Scytharum Rege Ju-  
 dathyeso poscebat Darius ter-  
 ram & aquam. *Herod. lib. 4.*  
 ita Xerxes a Lacedæmoniis *Po-  
 lyb. lib. 9.* atque in græcis codi-  
 cibus historiæ Judith Nabucha-  
 danasar bellum vicinis gentibus  
 indicturus deditiois, quam ex-  
 pectabat, formulam diserte esse  
 ait, *ut ei terram & aquam præpa-  
 rarent. Judith. 2. 7.* Et quid quæ-  
 so Poëtæ Deos fratres Jovem,  
 Plutonem & Neptunum forte  
 inter se mundum divisisse, & Jo-  
 vi cælum, Plutoni inferna, Nep-  
 tuno autem mare cessisse dicen-  
 tes aliud volunt, quam Neptu-  
 num maris & interjectarum in-  
 sularum dominum fuisse & ita  
 dominium maris privatum non  
 aliter



aliter ac telluris ex distributione  
humana natum esse. Id quod  
procul dubio ex partitione ter-  
rarum inter tres filias Noachi,  
ex quibus Japheto insulæ obve-  
nerunt, causam traxit, adeo ut  
Japheto non solum insularum,  
sed etiam maris dominium in  
fabula illa assignari velit, *Gry-  
phiand. de insul. c. 31. §. 75. Ric-  
ciol. in Geogr. & hydrogr. reform.  
lib. 1. c. 8.* Vera enim sunt, quæ  
Poëtæ ( ut recte *Lactant. de fals.  
relig. lib. 1. c. 11. sed obtentu ali-  
quo specieque velata.* Et sic ve-  
ritatem mendacio velaverunt,  
ut veritas ipsa persuasioni pu-  
blicæ nihil derogaret. *Seldin.  
lib. 1. de mar. claus. c. 8. & seq.  
Stypm. de jur. mar. p. 1. c. 6. Mart.  
Schook. de imper. mar. Morisat.  
in orb. Marit. lib. 2. c. 19. & seq.*

CAP.



CAP. IV.

*De probatione dominii maritimi  
ex jure civili Romano & L.  
Rhodia de Jactu.*

**U**Ltimo tandem loco domi-  
nium maris maxime stabi-  
liunt testimonia ex ipso jure Ro-  
mano deprompta. Sic l. 13. §. si  
quis 7. ff. de injur. conductori  
maris interdictum datur, ut con-  
ductione sua fruatur. Qvis ve-  
ro locator, quis conductor rei  
communis, ac nimirum com-  
munionem, quæ omnis proprie-  
tatis expers, intelligi potest. De-  
inde l. 2. ff. Nequid in loc. publ.  
datur interdictum ei, cui per  
molem in mari jactam nocetur.  
Ergo mare hætenus pro publi-  
co est. l. 2. §. 2. & §. ff. Nequid in  
loc. publ. Quid enim est publi-  
cum



cum nisi proprium populi & in  
 Rep. Romana Romani *l. 15. &  
 16. ff. de V. S.* Hinc jus publicum  
 quod statum Reipubl. spectat.  
*l. 1. §. 1. de J. & J.* Quod autem  
 non commune sed publicum,  
 jure Gentium sit docet *§. litorum  
 s. J. de R. D.* Nec officit quod se-  
 quitur *d. §. litorum s. J. de R. D.*  
 ubi litorum proprietas ut maris  
 nullius esse dicitur Loquitur e-  
 nim Imperator pro argumento  
 præsentis de proprietate, quæ per  
 occupationem & apprehensio-  
 nem corporalem rem facit esse  
 singulorum. Ideo autem signa-  
 te mare publicum jure Genti-  
 um dicitur, non quidem ac si per  
 hoc significetur esse commune,  
 sed ut distinguatur ab eo publi-  
 cum jure civili. Est enim ali-  
 ud jure Gentium publicum,  
 quod



quod populi quidem proprium  
 usu autem quo pro derelicto est  
 omnibus patet. Aliud jure ci-  
 vili publicum, qualia sunt pecu-  
 lia servorum, civitatum bona &  
 vectigalia, quorum nullatenus  
 usus publicus est, sed quæ in so-  
 lidum sunt in patrimonio populi  
*l. 17. ff. de V. S.* Non itaque se-  
 quitur mare proprietatis absolu-  
 te esse incapax, quia quædam  
 nempe domini proprietas, cui-  
 dam, scilicet privatis civibus se-  
 cundum usum promiscuum non  
 competit. De rebus enim & eo-  
 rum jure non alia ratione quam-  
 qua privati cives eorum capaces  
 sunt Justinianus agit §. 4. *vers.*  
*dicendum J. de J. & J.* Denique; etsi  
*l. 13. ff. Comm. præd* mare omni-  
 bus pateredicitur, tamen illud  
 eatenus intelligi verba statim se-  
 quen-



quentia demonstrant, ne priva-  
 ta (secus ergo publica) lege ser-  
 vitus ei imponi possit: minime  
 vero ut proprietati populi præ-  
 judicetur. Alias sequeretur,  
 ut quia neque flumini publico a  
 privato servitus imponi potest,  
 quod & ipsum populi proprium  
 non sit. Vid. *Steph. Florent. Cu-  
 pid. c. 9. §. 3.* Id quod magis fir-  
 mat, *l. insula 9. ff. de Judic. l. 6. §. li-  
 toras 1. ff. de contrah. emt. & l.  
 quamvis 50. ff. de A. R. D.* Ubi  
 usus maris decreto Prætoris im-  
 petrandus est, quod minime fie-  
 ret, nisi mare populi foret. Quid  
 enim Prætori ejusque decreto  
 cum re totum humano generi  
 communi Porro si illud, quod  
 mare occupat, publicum fit *l. 10.  
 in fin. ff. de R. D.* mare quoque pu-  
 blicum esse oportet. Item si pro  
 par-



parte mare hactenus occupari  
 potest, ut in eo ædificatum fiat  
 privatum *d. l. 10. d. R. D.* & passim  
 alibi, absurdum esset minus ju-  
 ris populo in occupando toto,  
 vel maxima parte esse, quam pri-  
 vato. Id quod multo magis fir-  
 matur *per l. 14. ff. de injur.* Ubi  
 maris proprium jus ad aliquem  
 ita pertinere dicitur, ut inter-  
 dictum uti possidetis ipsi compe-  
 tat, si jus suum exercere prohi-  
 beatur. Ulterius certum est,  
 quod litora jure maris censean-  
 tur *arg. l. 2. §. 1. ff. d. R. D.* ibi:  
*& per hoc (mare) litora.* Lito-  
 ra vero populi Romani esse Cel-  
 sus signate tradit *l. 3. ff. Nequid  
 in loc. publ.* Quid igitur restat,  
 quam ut mare ejusdem imperii  
 esse, concludamus. Et quam-  
 vis maris ut aëris communem  
 usum



usum esse ibidem affirmet, ta-  
 men hoc ita confestim tempe-  
 rat, ut verum sit, nisi quia dete-  
 rior maris vel litoris usus futu-  
 rus sit. Si ergo, quatenus de-  
 terius fieri potest, mare com-  
 mune est, utique non est abso-  
 lute commune. Ex quo igitur  
 maris usui modus statuitur, ex-  
 inde imperii maritimi quoque  
 ratio apparet. Imprimis vero  
 pro imperio maris adstruendi  
 facit *l. 9. ff. de L. Rhod. de jact.* cu-  
 jus mens secundum lectionem  
 & interpunctionem vulgarem  
 talis est. *Ego sane pro imperio,*  
*quod mihi in omnem orbem, leges*  
*mari quoque dare possem, sed non*  
*opus lege lata, iam lex maris præ-*  
*sto est, lege Rhodiorum nautica ju-*  
*dicetur, quæ nostris legibus illa ad-*  
*versa non sunt.* Ex quæ lege im-  
 peri-



perium Maris quadrifariam probatur 1. quod Antoninus navigantibus leges vult dicere. 2. inter Eudæmonem & Servos publicos controversiam dijudicari jubet. 3. Se Eudæmoni succurrere posse fatetur etiam sine lege Rhodiâ, & 4. leges Rhodiorum eatenus admittit, quâ Suis non adversantur. Imò extat in hanc rem fragmentum, quod Rhodiorum Legibus nauticis præmittitur, quo leges illæ disertim à Claudio, Hadriano, Antonino, Pertinace & Septimio Severo confirmantur & Auctoritatem accipiunt *Tom 2. Jur. Græco-Rom. fol. 265. Jacob. Godofr. de dom. mar. Petrus Gregor. Tholosan. in Syntagm. Jur. univ. lib 1. cap. 3. § 5. Morisott. in Orb. mar. lib. 1. cap. 30. Huc pertinet L. un. C. de off. com. Sacr. Patr. ubi mentio fit officii Hellepontii Consula-*

B                      sula-



sularis, & *Nov. 20. in pref. præfectu-*  
*ræ super Hellespontum & Pontum*  
*Polemoniacum conjunguntur, inq;*  
*unam combinantur præfecturam.*  
*Nec silentio prætereundum, quod*  
*Impp. Valentinianus & Valens Clas-*  
*sem Seleucianam ad auxilium pur-*  
*gandi Orientis aliasq; necessitates*  
*habuerunt l. un. C. de Class. Quem-*  
*admodum & Constant. M. tempo-*  
*re in Hispaniâ ac Galliis Classis fuit*  
*comparata ad defensionem maris*  
*Thyrreni & Adriatici. Saxonibus &*  
*Francis irruentibus, eosq; qui his*  
*Classibus præsidebant, & maritimæ*  
*rei curam gerebant, Comites ac*  
*Duces appellabant, Comites nimi-*  
*rum Hispaniarum & Tingitanæ.*  
*Nec minus pro martis Imperio av-*  
*thentica Frider. II. l. de furt. & Ejus-*  
*dem Constitutio s. Feud. §. 9. facit,*  
*ut & Caroli V. Constitutio Art. 218.*  
*ap.*



ap. Goldast. Tom. 3. Constitut. Imp.  
 Fol. 559. sub Carolo M. etiam Rot-  
 landus Mari Britannico Præfectus  
 memoratur, Eginbart. in Vit. Ca-  
 rol. Aimon. lib. 4. cap. 90. Imò Leo  
 Imperator in tantum Maris Impe-  
 rium ad se pertinere existimavit, ut  
 si quæ hæctenus de ejus Communio-  
 ne supererat opinio, eam Nov. 56.  
 penitus abolevisse videatur. Hinc  
 optimò jure Carolus V. in Recessi-  
 bus Imperii, quibus Titulos suos  
 præscripsit, se Regem Oceani profi-  
 tetur, & Ferdinandus II. Imperato-  
 rem Oceani Marisq; Balthici Frid-  
 landiæ Ducem constituit. Selden de  
 Mar. claus. lib. 1. Cap. 25. & Conring.  
 de dom. Mar. Thes. 30.

### CAP. V.

Respondetur Objectioni de naturâ  
 maris fluxili & perpetuò mutan-  
 te, ejusq; magnitudine & inex-  
 hausta abundantia.



**E**X jam dictis igitur satis apparet,  
 mare non solum domini capax  
 esse, nullumq; in eo jus refragari,  
 verum & à condito Mundo ad no-  
 stra usque Tempora semper in do-  
 minio fuisse. Nunc ea, quæ ab ad-  
 versâ parte objici solent, videamus  
 & perpendamus, quæ in triplici sunt  
 differentiâ. Alia enim ex ipsâ Maris  
 Naturâ, alia ex Commerciorum,  
 peregrinationis & transeundi li-  
 bertate (ut ajunt) omnium com-  
 muni, alia verò ex Scriptorum Te-  
 stimoniis petuntur. Naturam maris  
 dominio privato ex eo adversari di-  
 cunt, quod perpetuò sit in fluxu, nec  
 semper idem maneat, & quia in eo  
 non haberi possit idonea distinctio-  
 nis sive Materia sive instrumenta,  
 quibus finium regundorum jus in  
 dominiis Controversiis principem  
 Locum obtinens subniti queat. Tan-



Tantam prætereà Maris esse Magnitudinem, ut omnibus populis ad aquam hauriendam navigationem & piscatum sufficiat, ideoq; privatum ejus dominium non admittendum, ut videre licet ap. Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 11. §. 3. ubi sic inquit: Est naturalis ratio, quæ mare consideratum, ut diximus, proprium fieri vetat, quia occupatio non proecedit nisi in re terminata, unde Thucydides terram vacuum, vocat interminatam, & Isocrates ab Atheniensibus occupatam à vobis terminis finitam. Liquida verò quia per se non terminantur (inquit Aristoteles) occupari nequeunt, nisi ut contenta in re alià, quomodo lacus & stagna occupata sunt, item flumina, quia ripis tenentur. Mare verò terrâ non continetur, par terra aut terrâ majus, unde Terram Mari con-



*tineri Veteres dixere.* Sed quid hæc ad tollendum dominium? Etiam si enim usus Maris ob vastitatem omnibus hominibus sit sufficiens, usus tamen ille proprietati nullò modò aduersatur, verùm potius contrarium inde colligi potest, mare nimirum per partes citra cuiusquam injuriam occupari potuisse, quia tantæ magnitudinis est, ut ad omnes usûs sufficiens sit, & semper tantùm superest, quantum aliorum usibus satis sit, & quemadmodum illius, quod divisum nemini Sociorum sufficiens futurum communio demum servanda est: ita è contrario quod inexhausta & omnibus sufficientis est abundantia proprium fieri potest, cum quælibet Respublica de Jure Naturæ non majorem Maris partem occupare teneatur, quam quæ correspondeat suo Territo-



ritorio, & quæ absque injuriâ & læ-  
 sione Vicinarum Rerumpublica-  
 rum occupari potest. Quod ad flu-  
 xilem ejus naturam attinet, nonne  
 flumina & fontes multò magis in  
 perpetuo fluxu? nec tamen indè ju-  
 ri domini privati eorum ullibi de-  
 rogatur, verùm potiùs proprietas  
 ejus ex *l. 4. §. 1. ff. de R. D. & l. 7. ff.  
 de divers. & tempor. prescr.* diluci-  
 dè patet. Quomodò igitur flumina  
 in Imperio nostro Romano - Ger-  
 manico quoad usum publica sunt,  
 quoad proprietatem verò inter Re-  
 galia seu jura fiscalia recensentur.  
*Rosentb. de Jur. Feud. c. 5. Concl.  
 23. & 24. Sixt. de Regal. lib. 2. c. 3.*  
 eâdem ratione ipsum Mare post oc-  
 cupationem publicum dici potest,  
 ita ut ratione usûs omnibus com-  
 mune sit, ratione verò proprietatis  
 certam agnoscat Rempublicam.



Accedit, quod Mare ipsum nihil aliud sit, quàm flumen, palus, Lacus à cæteris magnitudine duntaxat ( quantum ad fluorem ) discrepans. Imò ipsa flumina sunt Maria minor, uti etiam paludes & Lacus, cujus rei in S. Literis illustria Exempla de Lacubus binis, Asphaltite & Tyberide habemus, quorum uterque pariter & Maria dicta, sic Asphaltitis à *Plinio*, à Mose verò *Gen. 14. 3.* Mare falsum, & à recentioribus plerumque Mare mortuum, Tyberidis item à Veteribus & Lucà *Cap. 5. v. 1.* Lacus dicitur, à cæteris verò Evangelistis Mare appellatur. Non magis ergò instabilitas Maris sive fluxus & refluxus ejus proprietati obstat, quam fluida Aeris natura dominio & possessioni spatii fundo seu ædibus sursum contermina. Spatium illud planè velut Alveus est



est Aeri perpetuò fluitanti, cuius tamen civiliter dominus est, qui fundum & aedes possidet. Hinc servitutes de aedibus non altius tollendis, de luminibus non officiendis, de prospectu & id genus alia constitutæ sunt in ipso aëre contermino. Unde obvium est ejus esse Cœlum vel Aerem, cuius est Solum, & in Opere novo nuntiato tam Soli quam Cœli Mensuram esse faciendam, ut Pomponius ait *l. 21 ff. quod vi aut clam §. 2.*

## CAP. VI.

*Objectis de finium & Terminorum Maris defectu respondetur.*

Porro nullum Maris ob vastitatem Terminum figi posse ex littoribus aliter patescit. Quid enim littora aliud sunt ac Termini Maris? *l. 96. ff. de V. S. quatenus hyber-*

B 5

nus



nus fluctus maximus excurrit §. 2.  
*J. de R. D.* Quid igitur id est, ubi  
 Maris æstus & excursus sistitur, si  
 Terminus non est. Et quamvis  
*Stypmannus in Tr. de Jur. Mar. P. 1.*  
*cap. 4. num. 90. 91.* littora non esse  
 maris terminum, sed tantum extre-  
 ma ejus finire dicat, attamen hoc  
 non probat. Finis enim extremo-  
 rum & terminus pari passu ambu-  
 lant, nec ullus nisi extremorum ter-  
 minus esse potest. At quid hoc ad  
 diffusum & vastum illud Mare O-  
 ceanum quærit *Pontanus Disc. Hist.*  
*lib. 2. cap. 11.* Nimirum & huic ter-  
 mini sui quales sunt scopuli, brevia,  
 adversa invicem Promontoria, In-  
 sulæ hinc inde sparsæ, è quibus li-  
 nearum rigores, versuræ seu flexûs,  
 angulorum costæ, gammae, ut Agri-  
 mentores loquuntur, sumi possunt.  
 Id quod ex S. Literis liquidius con-  
 stat.



stat. Congregantur enim ibi aquæ,  
 & locis suis terminisq; finiuntur, &  
 Dominus ipse *Job 38. 10.* de Mari sic  
 inquit: *Circumdedi illud Terminis*  
*meis, & posui vectem & ostia, & di-*  
*xi, usq; huc venies, & non procedes*  
*amplius, & Prov. 8. 29. Circumda-*  
*bat Mari terminum suum, & legem*  
*ponebat Aquis, ne transirent fines*  
*suos. Vid. Ivon. lib. 1. de Jur. Nat.*  
*p. 85. Sim. Majol. de Dieb. Canic.*  
*p. 159. Ricciol. in Geogr & Hydrogr.*  
*Reform. Cap. 12. lib. 1. Petr. Greg.*  
*Tholos. Syntagm. Jur. univ. Lib. 1.*  
*Cap. 3. §. 5. Adeò ut dubitari nequeat,*  
 quin suos terminos in Litore ma-  
 re quodcunque ut tellus ipsa ha-  
 beat. Accedit egregiæ nauticæ py-  
 xidis & graduum coelestium sive  
 longitudinis sive latitudinis, atque  
 ex hisce doctrinæ Triangulorum  
 auxilium. Tropicus item Cancrî &



Æquator in mari fuere Termini,  
 quibus finiri aliqui foedus inter Or-  
 dines Belgicæ foederatos & Austria-  
 cos Anno M DC VIII. contrahen-  
 dum voluere. *Eman. Meterr. Rev.*  
*Belg. lib. 28. Morisott. Orb. Marit.*  
*lib. 1. cap 31. seqq. lib. 2. cap. 41.* Hinc  
 vanus Timor est, indignaq; Autore  
 suo *Grotio de Mari Lib. cap 1. p 81.*  
*causatio, Geometras nempe jamdu-*  
*dum nobis Terram & Astronomos*  
*Cælum eripuisse, si hoc recipere-*  
*tur, ut dimensio talis ad possiden-*  
*dum valeret.* Mathematicorum  
 etiam lineæ per se excogitatæ sunt  
 ad distingvendum Regionibus, non  
 ad possidendum pro suæ orbem,  
 nec unquam nuda finium descriptio  
 sine animo possidendi & corpore  
 occupante ad possessionem suffici-  
 ens fuit. Prius itaqve necesse est, ut  
 animum possidendi habeas, tum  
 de-



demum de possessionis Terminis  
 circumspiciendum, quos præstare  
 etiam Mathematicorum lineæ tibi  
 possunt. Quod vero ad illud *D. Am-  
 brosii Hexæmer. lib 5. cap. 10.* atti-  
 net, *Geometram audivimus, Tha-  
 lassometram nunquam audivimus,*  
 Iusus magis vocabulorum est, quàm  
 Argumentum rei, quam tractamus.  
 Et de variis variorum piscium an-  
 tris sive regionibus à DEO in Ocea-  
 no destinatis, non de Civili Maris  
 distributione ibi loquitur Vir fan-  
 ctissimus.

## CAP. VII.

*Respondetur ad Objectionem de Li-  
 bero Mercatoribus, Peregrinis,  
 navigantibus Transitu.*

**D**icunt prætereà occupationem  
 maris omnem tollere commer-  
 merciorum libertatem, omnem



liberum impedire transitum & peregrinationibus maximo esse obstaculo, hujus autem peregrinationis, commerciorum transitusq; ita naturalem esse Libertatem ut si impediatur, omne jus tollatur, omnis æquitas, hinc quoque inter justissimas belli causas referri, si hæc libertas populo denegetur. Unde & *Vasquius Controvers. Illustr. Lib. 2. cap. 89. §. 30.* sic inquit: *Ex his apparet, quàm suspecta sit sententia existimantium, Genuenses aut etiam Venetos posse non injuriâ prohibere alios navigare per Gulfum aut pelagus sui Maris, quasi æquora præscripserint, id quod non solum est contra Leges Casareas (jam supra citatas) sed etiam est contra ipsum jus Nature aut Gentium primævum, quod mutari non posse diximus. Quod sit contra illud jus constat, quia*



quia non solum maria aut aequora  
 eo jure communia erant, sed etiam  
 reliquae omnes res immobiles. Et li-  
 bet ab eo jure postea recessum fue-  
 rit ex parte, puta quoad dominium  
 & proprietatem terrarum, quarum  
 dominium jure Nature commune  
 distinctum & divisum, sicque ab illa  
 communione segregatum fuit, ta-  
 men diversum fuit & est in domi-  
 nio maris, quod ab origine Mundi  
 ad hodiernum usque diem est fuitque  
 semper in communi nullam ex parte  
 immutatum, ut est notum. Et  
 quamvis ex Lusitanis magnam Tur-  
 bam saepe audiverim, in hac esse opi-  
 nione, ut eorum Rex ita prescripse-  
 rit navigationem Indici Occidenta-  
 lis ejusdemque vastissimi maris, ita  
 ut reliquis gentibus aequora illa  
 transfretare non liceat, & ex nostris  
 met Hispanis vulgus in eadem opi-  
 nione



nione ferè esse videatur, ut per vastissimum immensumq; Pontum ad Indorum Regiones, quas potentissimi Reges nostri Hispaniarum subegerunt reliquis Mortalium navigare præterquam Hispanis jus minime sit (quasi ab eis id jus præscriptum fuerit) tamen istorum omnium non minus insane sunt opiniones, quàm Eorum, qui quoad Genuenses & Venetos in eodem ferè Somnio esse adsolent. Quas sententias ineptire vel ex eò dilucidius apparet, quod istarum nationum singula contra seipsas nequeunt præscribere, hoc est, non Respublica Venetiarum contra semetipsam, non Regnum Hispanorum contra semetipsum, non Regnum Lusitanorum contra semetipsum. Esse enim debet differentia inter agentem & patientem, contra reliquas verò nationes



nes longè minus præscribere possunt, quia jus præscriptionum est merè civile. Ergò tale jus cessat, cum res agitur inter Principes vel populos superiorem non recognoscentes in temporalibus. Jus enim civile cujuscunq; Regionis quò ad externos populos, nationes vel etiam homines singulos non magis est in consideratione, quàm si reverà non esset tale jus aut unqvàm fuisset, Et ad jus commune Gentium primævum, vel secundarium est recurrendum eoq; utendum, quò jure talem maris præscriptionem Et usurpationem admissam non fuisse unqvàm constat. Verùm quid hoc ad dominium rei, per quam transeundum est Mercatoribus sive peregrinis? huic non magis ejusmodi transeundi Libertas derogaret (si modò citra Controversiam eo nomine cunctis pateret)



teret) quam actus, via, iter, aliæq;  
 ejusmodi Servitutes in agro consti-  
 tutæ ejus reluctarentur dominio.  
 Detur ex jure Gentium omnium li-  
 berum esse transitum, Hispanis per  
 Alpes in Italiam, Italis in Germa-  
 niam. Quid hoc ad Pyrenæorum  
 seu Alpium dominium? Quemad-  
 modum enim concedere usum A-  
 quæ, item ut candela accendatur,  
 cuilibet homini ita à Naturâ injun-  
 ctum est, ut nisi hoc faceret, ipsi na-  
 turæ & divino juri repugnaret, hæc  
 tamen concessio non statim alteri  
 jus aliquod acquirit, sed tantum ex  
 mutuo charitatis officio proficisci-  
 tur: ita quoque concessio innoxii  
 transitus per Mare, utpote per viam  
 publicam nullum jus efficere valet,  
 sed solummodò ortum ex charita-  
 tis fonte haurit. Humanitati qui-  
 dem consentaneum est, ut pere-  
 grini



grini suscipiantur, utq; innoxius concedatur Transitus, sed hoc nihil impedit, quò minus dominium Maris integrum maneat. Quamvis enim ab introitu & usu Urbis arce- re peregrinos inhumanum sit, Test. *Cic. lib. 3. offic. & omnis per viam pu- blicam Transitus cuique jure socie- tatis humanæ æquissimo patere de- bet, nisi in proprium cedat detri- mentum. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 13. inde tamen nullo modo probabitur, urbes proprietatis ex- pertes esse, vias item publicas tam quoad dominium, quàm quoad usum in illorum numerum esse re- ferendas, quæ utiqve Naturæ Jure omnibus sunt communia, & in pri- vatam possessionem redigi neque- unt. Harum verò ut & Urbium do- minium probare idem esset, ac fa- cem Soli præferre, ipsa quippe quo- tidia-*



tidiana experientia sufficientis probationis loco est. Eadem quoque hic in mari ratio militat. Interdicitur præterea liber maris transitus, si in præsentissimum illius Reipublicæ damnum vergat, quæ sibi dominium in mari illo acquisivit. Hoc enim si fiat, Dominus maris eadem ratione illos, à quibus damnum metuitur, à transitu ejus arcere potest, quâ hostis ab ingressu alicujus Territorii vel Urbis arceatur. Unde *Aristoteles lib. 7. c. 6. Polit.* aperte ait *legibus cavendum esse, quibuscum Cives communicare oporteat, & cum quibus non oporteat, & Bodinus l. 1. c. 7. de Rep. Singularibus pactis populorum ac Principum Conventis commerciorum jura contineri. Et peregrinum finibus arcere, atque etiam fines præterveretum ejicere licere non modò si bel-*

lum



lum indictum sit, verum etiam ipso  
 pacis tempore, ne vel Civium mo-  
 res peregrinorum consuetudine cor-  
 rumpantur. Hinc etiã in foederibus  
 non rarò cavetur, non esse jus ap-  
 pellendi ad portus, plagas, & Pro-  
 montoria alterutrius partis cum  
 tali numero navium aut Armato-  
 rum, ut justis timoris suspicio gene-  
 rari possit vim parari, nisi ex per-  
 missu ejus, sub cujus ditione loca  
 illa sita sunt, aut nisi tempestatibus  
 aliãq; necessitate delati illuc fue-  
 rint, ad majorem vim aut naufra-  
 gii periculum effugiendum, ut ex  
 transactione inter Hispaniæ Regem  
 & Ordines foederati Belgii An. 1609.  
 innita patet. Rectè quoque Alberi-  
 cus Gentilis lib. 1. c. 19. de Jur. Belli  
 inquit: Teneo cum Augustino (qui  
 humanitatis esse dixit, neminem ab  
 usu maris prohiberi) si nec timen-  
 dum



*dum sit, ne noceatur, & certum sit noceri non posse.* Principibus enim incumbit, ut nec peregrinos, nec Commercium aliter ac pro re natâ admittant, & prudenter caveant, ne quid detrimenti Respublica interim capiat. Tandem & Dominium maris non solum non impedit, aut planè tollit commerciorum Libertatem, sed illam potiùs auget, dum nimirum Dominus mare suum à piratis purgare, illudq; securum reddere tenetur, & propterea in compensationem expensarum vectigalia imponere jure potest, eadem ratione quâ Princeps ad resarciendas & tuendas vias publicas aliquod vectigal à peregrinantibus exposcit. *Selden. de Mar. Claus. lib. 1. c. 2. 20. seqq. Strauch. c. 1. 2. b. l.*

CAP.



## CAP. VIII.

*Ad Objectiones reliquas tum ex S. Literis tum ex Jure Civili Romano & aliunde depromptis, imprimis autem Hugonis Grotii & Ferdinandi Vasqvii Sententiis adversantibus respondetur, & prima illa Bonorum Communio rejicitur.*

**R**estat, ut adversas nunc Scriptorum Sententias, superius partim exhibitas partim adhuc proferendas, & Romanorum Leges adversantes in medium proferamus, earumq; Autoritatem expendamus. Incipiunt autem Adversarii ab Oraculis ex S. Monumentis petitis & Ps. 95. v. 5. allegant, ubi Regius Propheta inquit: *Suum (scil. Domini) est mare, & ille fecit.* Inde nimirum colligunt, *Deum lib. soli Dominium maris*



maris reservasse, illudq; occupatio-  
 ni Hominum occlusisse. Verum  
 quæ hæc est absurditas! cum enim  
 mare Domini esse dicitur, Sermo-  
 nem de dominio DEI excellenti  
 in omnia, quæ in cælo & terrâ  
 sunt, esse facile patet. Quemad-  
 modum autem non repugnat pri-  
 vatorum in propria bona dominio,  
 quod ipsa quoque Majestas Civilis  
 summum quoddam in eadem bona  
 exercent imperium, quod nomine  
 eminentis domini insignitur, ita  
 quoque nec dominium universale  
 Creatoris rationalibus Creaturis  
 singulare in bona sibi ipsis primum  
 ex divinâ beneficentiâ concessa au-  
 fert dominium. Vid. modo vers.  
 præced. dicti Psalmi. Ibi sanè quo-  
 que dicitur: *in manu Domini est,*  
*quicquid è terra provenit, & ca-*  
*cuminamontium quoque sunt Domini.*

Quis



Quis verò nescit hujusmodi Effata  
 neutiqvam dominium humanum  
 minuere? Quicquid enim acqvi-  
 runt homines, semper DEO OPT.  
 MAX. ut naturæ universalis Paren-  
 ti restat, & si hoc argumentum  
 firmo niteretur talo, & terra &  
 montes juris communis essent, &  
 in nullius dominio, atqve hoc mo-  
 do omne dominium & per conse-  
 quens omnia commercia collabe-  
 rentur. Imò omnis pessum iret ho-  
 minum societas. Ulterius quoque  
 progrediuntur adversæ sententiæ  
 addicti, & dicunt, omnia prius  
 temporibus fuisse communia, &  
 mare nunquam occupatum fuisse,  
 sed semper in libero suo remansisse  
 statu, atqve huc trahunt illud *Vir-  
 gili* *Georg. I.*

C

Nec



*Nec signare quidem aut partiri  
 limite campum  
 Fas erat; in medium quarebant*

— —  
*Et Seneca in Octav. Act. 2.*

— — — — —  
*Pervium cunctis iter,  
 Communis usus omnium rerum  
 fuit.*

*Tibulli ad Messal. Eleg. lib. 1. 3.*

*Non domus ulla fores habuit, non  
 fixus in agris  
 Qui regeret certis finibus ar-  
 va, lapis.*

*Ovid. Metamorph. I.*

*Communemque prius ceu lumina  
 solis & aure  
 Cautus humum longo signavit li-  
 mite mensor.*

*Et Metam. 6.*

*Quid prohibetis aquas? usus com-  
 munis aquarum est,*

*Nec*



*Nec solem proprium natura nec  
aëra fecit,*

*Nec tennes undas. In publica mu-  
nera veni.*

*Justini, qui l. 43. Hist. inquit: Erant  
Saturni ævo omnia communia, &  
indivisa omnibus, veluti unum cun-  
ctis patrimonium esset. Unde illa  
in Saturnalibus bonorum commu-  
nio. Neque aliter Cicero Offic. lib. 1.  
Privata nulla natura, sed aut veteri  
occupatione, aut qui quondam in  
vacua venerunt, aut bello etiam &  
victoria potiti sunt, aut lege, aut  
pactione, conditione, sorte. Cui ad-  
stipulatur Grotius de Mar. lib. c. 5.  
p. 70. ubi inquit: Mare proprium  
omnino alicujus fieri non potest,  
quia natura commune hoc esse non  
permittit, sed jubet, & de J. B. & P.  
l. 2. c. 2. §. 2. Res in proprietatem  
C 2                      ibant*



ibant non animi actu solo (neq; enim  
 scire alii poterant, quid alii suum  
 esse velint, ut eo abstinerent, &  
 idem velle plures poterant) sed pa-  
 eto quodam aut expresso, ut per di-  
 visionem, aut tacito ut per occupa-  
 tionem. Simul atq; enim communio  
 displicuit, nec instituta est divisio,  
 censei debet inter omnes convenis-  
 se, ut quod quisq; occupasset, id pro-  
 prium haberet, & Ferdinand. Vasq.  
 supra c. l. At posito mare scil. nun-  
 quam occupatum fuisse, sed non  
 concesso, nec id tamen thesin no-  
 stram infringit. Nam à non esse ad  
 non posse non valet consequentia,  
 & quæ indè absurditas oriretur!  
 mare non est occupatum, ergò non  
 potest occupari, nulla hîc est con-  
 sequentia. Quod namq; olim nul-  
 la vel rara occupatio fuerit, id fa-  
 ctum



ctum ex imperitiâ rei nauticæ &  
 impotentiâ quârundam Gentium,  
 qui id occupare non potuerunt,  
 quod tamen ipsis jure permissum  
 erat, imò ipsum mare non in libe-  
 ro suo remansisse statu, sed tam an-  
 tiqvis quàm hisce temporibus à  
 multis occupatum maximaq; inde  
 bella orta fuisse ex historiis & ex-  
 emplis suprâ allatis dilucidè patet.  
 Deindè rejicimus primævam illam  
 rerum omnium communionem,  
 utpote non solùm primæ illius post  
 res creatas divinæ traditionis for-  
 mulæ *Gen. 1.* verùm & alterius re-  
 parato post diluvium orbe repu-  
 gnantem *Gen. 9.* Per donationem  
 enim divinam statim sub orbis in-  
 fantiam Adamo tota rerum univer-  
 sitas cesfit, ita ut ipse in solidum  
 eam haberet propriam. Add. *Ec-  
 cles.*



*cles. 17. ibi dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram. Quæ*  
 proprietas in eo fuit posita, ut non  
 solum à rebus à se possessis exclu-  
 deret alios, sed & nemo alius, si quis  
 fuisset, jus occupandi res nondum  
 possessas universas & possidendi ha-  
 beret, in tantum ut liberos quoque  
 Adami planè fuisse exclusos domi-  
 nio rerum illarum, quamdiu fami-  
 lia Patris continerentur, nisi si quæ  
 assignatione aliquid proprii, & ut  
 Romani loquuntur, peculia eis per-  
 misit, & post emancipationem mor-  
 temvè ejus demum divisis inter se  
 rebus fratres ei successisse cum do-  
 ctissimo Seldeno meritò existimo.  
 Divinæ enim traditionis formula  
 nemini jus dedit, nisi uni homi-  
 num pari, nec tunc extabant libe-  
 ri Adami, verum ipse tunc tempo-  
 ris



ris solus adhuc erat, & deindè multiplicatò quamvis genere humano tamen remansit familiæ suæ caput, & per consequens retinuit proprio jure dominium totius terrarum orbis licet non singulare attamen universale. Probat id quod diximus satis divisio orbis inter Noachidas mundo à diluvio reparato facta *Genes. 10.* cujus Noachum ipsum autorem fuisse, eamque testamento suo firmatam, quod moribundus Semo filio exequendum mandârit *Euseb. ex Epiph. in Anchorat. & Heret. 66.* locuples testis cum *Cedreno* est. Imò dominium Adamo prisca Ecclesiæ Patres in tantum tribuunt, ut imaginem DEI quâdam sui parte in eo constitisse affirmant, *Basil. Hom. 10. in Gen.*

C 4

Ejusq̄



*Ejusq; Frater Gregor. Orat. 1. in il-*  
*lud: faciamus hominem, & lib. de*  
*Opif. hom. cap. 4. nec non Chrysof.*  
*S. Ambros. & August. Ex his omni-*  
*bus clarè patefcit, nullam unquam*  
*universalem bonorum omnium*  
*communione[m] fuisse, indeq; per se*  
*ipsam corrui[t] L. 5. ff. de J. & J. ubi*  
*jure Gentium dominia introducta*  
*& distincta esse dicitur. Hæc enim,*  
*ut ex suprâ dictis constat, ex jure di-*  
*vino originem traxerunt. Quare &*  
*inter decem præcepta moralia ex-*  
*pressè 7. 9. & 10. addita sunt ob di-*  
*stinctionem dominiorum Exod. 20.*  
*15. 17. 2. Cor. 8. 14. Prov. 5. 16. Dein-*  
*de naturali quoq; ratione nituntur,*  
*præceptum enim naturæ est, ut*  
*suum cuique tribuatur. Molin. de*  
*J. & J. Tom. 1. Tr. 1. Disp. 20. Ex su-*  
*prâ autem dictâ L. V. ff. de J. & J.*  
*Grot.*



Grot. l. 2. c. 3. §. 3. de J. B. & P. colligere gestit, quod illæ res, in quas neque expressa pactio per divisionem scilicet, neque tacita per occupationem cadat, ad nostram adhuc ætatem communes esse perseverent, inter quas etiam recenset mare, & ex hac suâ hypothesisi argumentatur, illud omnis adhuc proprietatis expertus esse. Verùm cum in hoc argumento usus maximè attendendus sit, qui primævo tempore vel nullus vel rarissimus respectu maris fuit, hinc ipsa quoque occupatio rarissima fuit. Hodie verò ob frequentiorum usum, & quia unica ferè Rerum publicarum maritimarum salus inde dependet, ratio Grotii cessat, ideoq; meritò libertas mari in tantum adimi potest, in quantum commodi & noxæ Reipublicæ

C §



blicæ inde impendet, proptereaq; nihil vetat, quin mare longissimè dissitum & nullis adhuc rostris vel exiguis secatum hodiernum liberum appellari mereatur, utpotè adhuc pro derelicto habitum, libertas autem ejus tamdiu integra manet, usque dum alicujus Reipublicæ utilitas occupationem illius efflagitaverit. Hæc sine dubio jam allegatum Grotium multum aliàs contra maris dominium disputantem movisse existimo, ut receptis populorum moribus, & multorum Scriptorum testimoniis tandem victus quasi dans manus *lib. 2. c. 8. §. 13. de J. Bell. & Pac.* ita scripserit: *Terra & flumina, & (quod notandum) si quæ pars maris in proprietatem alicujus populi venit, paterere*



tere debet his, qui transitu opus habent ad justas causas, & cap. 3. §. 8. ubi expressius & quidem ita loquitur: Ad hoc exemplum videtur & mare occupari potuisse ab eo, qui terras ad latus utrumque possidet, dummodò non ita magna pars maris sit, ut non cum terris comparata portio earum videri possit. Et quod uni populo aut Regi licet, idem licere videtur & duobus, & tribus, si pariter mare intersitum occupare voluerint. Idem de mar. lib. Cap. 5. p. 71. Ex quibus colligere licet Grotium ipsum proprietatem maris in tantum statuisse, in quantum terras hujus aut illius Reipublicæ aluit. Quod Vasquium attinet, verbis ejus, quibus contra ipsum



Jus Naturæ & Gentium primævum, quod mutari non possit, esse dicit maria & æqvora fuisse propria jam in præcedentibus satisfactum est, & ipsi sibi M. ille Jctus quodammodo contradicit addens, *non solum maria eò jure fuisse communia, sed & omnes reliqvas res immobiles.* Si enim hoc verum, tum rerum quoque immobilium proprietas, (ut potè contra ipsum jus naturæ quod mutare nefas) acquiri non potuisset, quod tamen expressè fatetur, cum inquit: *Et licet ab eo jure postea ex parte recessum fuerit, puta quoad dominium & proprietatem terrarum,* ubi aperta est contradictio. Suprà nimirum dominium rerum immobilium contra jus naturæ & Gentium esse asseruerat, & quidem tale, quod mutari non possit,



sit, hic autem ab eo jure ex parte  
 recessum fuisse fatetur. Quod si re-  
 cessum est ab eo jure quoad pro-  
 prietatem terrarum, quidni ab eo  
 quoque recedi posset quoad pro-  
 prietatem maris? eadem enim hic  
 ratio locum habet, quia utrumque  
 occupabile est, & in quantum occu-  
 pari, in tantum etiam sub domi-  
 nium redigi potest. Subnectit qui-  
 dem deinde Vasquius & inquit: *Di-*  
*versum tamen fuit & est in domi-*  
*nio Maris, quod ab origine mundi*  
*ad hodiernum usq; diem est fuitq;*  
*semper in communi, nullâ ex parte*  
*immutatum, ut est notum.* At quæ  
 hæc est probatio? Diversum esse  
 ait dominium terrarum à maris do-  
 minio, nec tamen probat nisi eò,  
 quod notum sit mare semper fuisse  
 commune, cum tamen eis, qui Gen-  
 tium



tium seculorumq; mores receptos  
 juraqve introspexerunt contrari-  
 um sit notissimum, & maria ali-  
 quot in Principum dominium Pa-  
 trimoniumq; transisse jure explo-  
 ratisimo ex supra ostensis luculen-  
 ter probetur, ita ut notum illud,  
 quò gloriatur in maximum con-  
 vertatur ignotum. Nec majorem  
 firmitatem, quæ de præscriptione  
 inter externos invicem cessante ibi-  
 dem profert, obtinent. Tandem  
 quoque ad Corpus Juris Civilis tan-  
 quam ad sacram anchoram adversæ  
 sententiæ propugnatores refugiunt  
 & in eo ultimam suam salutem  
 quærentes opinionem, quam firmis  
 rationibus defendere nequeunt, ex  
 verbis & sententiis legum confirmare  
 volunt adducentes hunc in finem §.  
*Et quidem 1. Et 5. J. l. 2. §. 1. ff. de R. D.*

*l. in*



*l. injuriar. 13 §. ult ff. de injur. L. 14.  
 de A. R. D. & L. 13. ff. Comm. Præd. &*  
 si qua alia sunt parallela, quibus ma-  
 re omnibus patere, ideoq; commu-  
 ne esse dicitur. At observandum ea,  
 quæ juris Gentium sunt, per jus ali-  
 quod civile immutari posse. Posito  
 igitur jam Romanos Jus Gentium  
 quoad occupationem maris in nu-  
 do suo reliquisse statu, hoc tamen  
 ob rariorem maris usum & rei nau-  
 ticæ imperitiam factum fuit. Quo-  
 niam autem usus maris hodiè fre-  
 quentior, hinc jus illud Gentium  
 contrario jure civili vel scripto  
 vel non scripto merito immutari  
 potuit. Obtinet enim hîc distin-  
 ctio inter illud, quod jur. Nat.  
 vel Gent. præceptum, & illud,  
 quod hoc jure in libera alicujus  
 voluntate est relictum. Et sane  
 liber-



libertas maris eodem modo ac libertas terrarum orbis neque jur. Nat. neque Gent. est præcepta, hinc jure civili adimi potest. Eadem quippe hic ratio, quæ in venationibus ac piscationibus militat, utpote quæ olim quibuslibet etiam competebant, hodiè autem nemini, nisi cui ab ipsa Majestate fuerint concessæ. Illa nimirum antiqva libertas multis abhinc seculis more receptissimo sublata est. *Struv. Synt. J. Feud. p. 185. Sebast. Medices in tr. de venation. Gail. l. 2. observ. 67. Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. 1. c 7. p. 432.* Dicuntur prætereà citatis locis aër, aqua profluens, & mare respectu usus quidem res communes sed valdè ambiguè. Maris enim & aquæ profluentis usus in hominis potestate est & arbitrio,  
aëris



aëris non item. Hinc communis maris usus non per omnia intelligitur, sed ut loquuntur *J. Cti signato* omnibus iis locis, quibus de maris communionem sermo est, jure naturali. Per naturale autem jus tale intelligunt, quod non humani generis proprium sed omnium animalium commune est §. 2. *J. de J. & J.* Quando igitur mare jure naturali commune esse dicunt, communionem secundum usum talem intelligunt, qui homini cum bestiis est communis, ut est usus lavandi, natandi, hauriendi & pisces capiendi. Quando autem mare juris Gentium esse dicunt, ut §. 1. *inf.* & §. 6. *J. de R. D.* usum talem intelligunt, qui solius humani generis est, ut est villas, monumentum, ædificia habere &c. §. 1. *casam ponere, retia*  
 sic-



siccare, §. 6. quo sensu & publicum dicitur mare, & publicum quidem jure Gentium. Cum igitur mare non secundum totam sui naturam commune sit, hæc communio dominio obesse nequit. Quemadmodum enim nemo negat culmos messis meæ meos esse, adeoq; & detritas de hisce spicas, itemque aquam per tubos subterraneos in labra mea collectam meam esse, specilegia atque racemationes tamen in usos promiscuos, superfluum denique aquæ per tubos colligatæ, der Abfall / patere experientia docet: ita nihil impedit alio atque alio respectu quicquam aliud in dominio esse & non esse. Quin quod proprietas alius quam domini usum rei non excludat, in privatorum rebus vel usufructus & usus docet.



docet. Exemplo sint flumina, quæ  
 utut proprietate populi, ratione  
 tamen partium communi usui sunt  
 obnoxia, ad lavandum nimirum,  
 hauriendum, aquandum & similia,  
 nec minus ripæ ac portus. In pro-  
 prium ergo mare describi potuit,  
 & tamen certo respectu pro dere-  
 licto haberi, ad usum nempe la-  
 vandi, in prædia immittendi, mo-  
 lem jaciendi, navigandi atque pi-  
 scandi, idque tamdiu, quam ejus,  
 qui imperium maris possidet, alia  
 contraria lex aut interdictum non  
 intercedit. Consentientes hac in  
 re plerosque Dd. habemus. *Gl. in l.*  
*quædam ff. de R. D. ait: litora quæ*  
*sunt omnium communia, quantum*  
*ad usum & dominium. Sunt tamen*  
*populi Romani quoad protectionem.*  
 Hinc Bald. ibi ait: *proprietatē maris*  
*esse*



*esse nullius, usum quo ad jurisdictionem esse Caesaris. Add. Heig. quest. ult. Ultimo tandem loco ab adversariis nobis l. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu* objicitur, quam in suam contorquere cupiunt sententiam, cum tamen potius ad destruendam quam construendam & defendendam illorum opinionem sit efficax, ut ex suprà dictis visum. Conqueritur ibi Eudæmon se in naufragio constitutum res suas perdidisse, illasque à publicanis direptas esse. Huic Imperator Antoninus respondet: *Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris; lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis perscripta est, judicetur, innuens nihillum se quidem leges marinas ferre posse, (omnis enim lex Majestatem legislatoriam præsupponit & pro-*  
*inde*



indè etiam lex maris, ) verum se  
 velle, ut lex, id est mos seu jus, quod  
 observari in mari debeat, ex lege  
 Rhodiorum nauticâ petatur pro-  
 pter æqvitatem non solum celebri,  
 sed & omnium legum nauticarum  
 antiquissima. Huic tamen expressè  
 Imperator hæc verba addit: *Qua-*  
*tenus nulla ei nostrarum legum ad-*  
*versatur.* Ex quibus facilè colligi  
 potest, Imperatorem illum leges  
 mari imponere potuisse, nec, ut ipsi  
 volunt, confessum fuisse, quod ma-  
 re in nullius sit dominio. Dicit  
 enim, se quidem esse mundi domi-  
 num, & pro Imperio in totum ter-  
 rarum orbem sibi competente non  
 solum terræ sed & mari leges dare  
 posse. Legem autem maris: & pro-  
 pterea non opus esse leges novas de  
 mari constituere, quia lex Rhodio-  
 rum



rum tanquam æqvissima jam lata  
 & in promptu sit, quæ tum quasi  
 Gentium jure in toto mediterræ-  
 neo mari propter æqvitatem suam  
 vigebat teste *Strabon. lib. Geograph.*  
*14. & Floro lib. 2. cap. 7.* & proinde  
 vult, ut secundum illas leges judi-  
 cium institui debeat, Rhodii quip-  
 pe utpote rei nauticæ longè peri-  
 tissimi injustas Leges condidisse  
 non præsumebatur. Hinc *Selde-  
 no*, *Rivio* & ambobus *Gotthofredis*  
 hæc lectio placet. *Petr. Gregor. Tho-  
 losan. in Syntagm. Jur. univers. l. 1.*  
*cap. 3. §. 5.* Svasit præterea hanc  
 maris occupationem summa ne-  
 cessitas & utilitas. Nam cum com-  
 munio facilè discordias excitare so-  
 leat *l. 77. §. 20. de Legat. 2.* ob na-  
 turalem hominum ad dissentien-  
 dum facilitatem *l. 7. §. 6. de Recept.*  
 qvi



*ubi Arbitr.* facile contingere po-  
 tuisset, ut ad rixas & arma privati  
 æquo jure fulti pervenissent. Quod  
 cum iniquissimum esset ad certa-  
 mina eos procedere, quos jurisdic-  
 ctione sua Magistratus potest com-  
 pescere *L. 13. §. 3 ff. de Usufr. inter-*  
*dictis alias privatis armorum usu*  
*Nov. 17. c. final. l. un. C. ut arm.*  
*us. C. 1. §. si quis Rustic. de Pac. te-*  
*nend.* Materiam discordiarum, ne  
 amplius ut solet propter meum &  
 tuum controversiæ essent, planè  
 tollere Principes voluerunt sen-  
 sim ad se summum maris Impe-  
 rium & Jurisdictionem derivando.  
 Nec ulla hîc privatis infertur inju-  
 ria, quia consensu suo in primâ occu-  
 patione factum Principum confir-  
 marunt, nec mare (quoad partem sc.)  
 unquam



unquam eorum ita fuit, ut Imperium ejus non posset ab alio maxime superiori occupari. Impellente ergo publicâ utilitate ut subditi tranquillè viverent, nec se invicem in communionem lacerarent, & Respublica facta tecta esset, quam tueri officium Magistratus est, *L. 13. de Off. Praef. L. 3. de Off. Praef. vigil. mare non amplius commune mansit, sed privatam factum est inquit Heig P. 2. Illustr. Quest. num. 155. Accedit, quod sumptus & impensæ, quæ in securitatem maris impenduntur, immensi sunt, nec à privatis præstari possunt. Si enim cohibendi piratarum incursus, si prædæ coercendæ, si conducendæ naves, tutandi sinus, fabricandæ Tonnæ, signandi pulvini, ponenda lumina, undè privati pecuniam sument, & quan-*



quando in exolutione vel refectione concordēs erunt? Eligendi igitur fuerunt, qui oneri & sumtibus pares autoritate & potestate simul valerent. Denique hanc occupationem confirmat præscriptio temporis immemorialis aliquot seculorum decursu atque usu roborata. *L. 1. L. 2. L. 11. C. de Serv. Et Aq. quæ instar privilegii est L. 3 §. 3. de Aq. quot. Et est.* & æque munit jus Principum, uti lex & consuetudo privatorum *c. super quibusdam §. præterea de V. S. c. 1. de Præscript. in 6.* Principes enim non debent esse deterioris conditionis in præscribendo quam privati *Arg. L. 20. §. 9. de Petit. Hæred. L. 1. L. 2. C. de Privil. Fisc. Wesenbec. par. de A. R. D. n. 7.* accedente præsertim prohibitione per eos facta & ad eam subditorum

D

pati-



patientia, sine quâ aliàs præscriptio  
 subsistere nequit. *Wesenbec. d. l.*  
*Rauchb. in Quest. Sax. Q. 27. n. 2.*  
*Quint. Mandos. de Inhibit. Qv. 62.*  
*n. 6.* Navigatio enim est actus meræ  
 facultatis, contra quem non currit  
 præscriptio, nisi prohibitione inter-  
 veniente. *Coler. Cons. 1. n. 306.* &  
 tali tempore mare præscribi posse  
 & illud possidere, qui jurisdic-  
 tionem & imperium in eò exercet, de-  
 fendit *Capoll. de S. R. P. cap. 26. n. 5.*  
*6. 9.* imò breviori tempore scil. tri-  
 ginta annorum præscriptione hoc  
 determinant *SchneidW. ad §. 1. de*  
*R. D. Kling. ad d. §. 1.* Nec ma-  
 lè plerique Jurisconsultorum hoc respectu  
 mare de Regalibus esse dicunt *Ca-*  
*cher. Decis. 155. n. 81. Fernand. Mon-*  
*tan. de Feud. lib. 5. cap. 7. vers. tam-*  
*etsi jus piscandi.* Maris administra-  
 tio-



tionem & ipsum etiam dominium  
 ad regalia refert, nec inter mare &  
 flumen publicum discrimen facit  
*Myns. Resp. 1. n. 162. Decis. 2.* Proprie-  
 tatem maris Regalium speciem esse  
 ait *Besold. Disc. Polit. de Jur. Rer. c. 1.*  
*n. 8. Hillig. in Donell. lib. 4. cap. 2.*  
*lit. e.* Verbo ab his dissentiunt, re  
 ipsâ consentiunt *Andr. de Ifern.*  
*Matth. de Afflict. in c. unic. de Regal.*  
*Borcholt. in d. c. num. 31. Viv. De-*  
*cis. 344. n. 1. Heig. Quest. 40. l. 2. n. 57.*  
*Belling. in spec. Princip. Rubr. 28.*  
*n. 10. Peregr. de Jur. Fisc. Lib. 8. tit. 1.*  
*Cag. d. cap. un. num. 3. Hippol. de*  
*Mars. in l. fin. num. 180. de Jurisdic. t.*  
*omnium Judic. ubi plures allegat*  
*Sixtin. Tr. de Regal. l. 2. c. 3. n. 97.*  
*Vultej. ad §. 1. Instit. num. 3.* Qui  
 jurisdictionem Principibus in mare  
 vel littora concedunt, nullatenus



verò dominium. At quæso unde  
 jurisdictio deficiente Imperio ori-  
 ginem habuit, & quod fundamen-  
 tum ipsius? nihil sanè aliud quàm  
 Imperium seu dominium. Præscri-  
 ptio forsàn? scopæ dissolutæ. Illa  
 enim ubi obtinet etiam possessio  
 obtinet, ubi hæc res privata fieri po-  
 test. Si ergò jurisdictio materialiter  
 consideratur, territorii vicem hic  
 mare obtinebit. An populus dedit?  
 at non habuit. Neq; ex occupatio-  
 ne continentis hæc jurisdictio na-  
 ta. Ut enim illud in litoribus con-  
 cedatur, nullò modò ad mare appli-  
 cari potest. Diversæ illæ res sunt, &  
 malè ab unâ ad aliã infertur. Et quò  
 jure tandem argumentum probabi-  
 tur, terram occupavit, E. & alluens  
 mare. Omnis tamen hæc occupatio  
 ita debet esse constituta, ut non in  
 præ-



præfentissimam injuriam & inevita-  
 bile alterius alicujus innocentis da-  
 mnnum vergat: qui aliàs, si citra istam  
 occupationem esset, eodem jure ac  
 titulo circa illã rem gauderet. Hinc  
 una aliqua Respub. totum & vastum  
 Oceanum sibi soli cum exclusione  
 omnium aliarum vindicare jure ne-  
 quit, utpotè cum hæc occupatio in  
 maximum detrimentum reliquarũ  
 & præcipuè maritimarum, quarum  
 nim. salus in libero maris usu consti-  
 tit, cederet. Magnã autẽ maris par-  
 tem, quæ tamen aliqualem respectũ  
 ad territorium habet, occupare Res-  
 publ. quædam de jure potest, si mo-  
 dò reliquis occupandum quid re-  
 linquit. *Struv. Syntagm. Jur. Feud.*  
*p. 184.* ita ut usus navigationis & in-  
 noxius per id mare transitus etiam  
 aliis ejus jurisdictioni non subjectis



jure Gentium & humanitatis lege  
 pateat. *Stypmann. de Jur. mar.*  
*P. 1. c. 4. & 5. Loccen. de Jur. marit.*  
*lib. 1. c. 4. Morisot. in Orb. marit.*  
*lib. 2. cap. 19.*

### CAP. IX.

*De modis acqvirendi Imperii  
 maritimi.*

**C**Um igitur mare ex eorum nu-  
 mero sit, in quibus jus populo  
 acqviri potest, de modis acqviren-  
 di Imperii maritimi nunc videam-  
 us, illudq; non solum per occu-  
 pationem tam simplicem quam  
 bellicam, divisionem, accessionem  
 & praescriptionem, verum & reli-  
 quis modis, quibus res in commer-  
 cium deducta legitimè transferri  
 potest, permutatione nimirum, ad-  
 judicatione, donatione, investitura  
 & si-



& similibus acquiri statuimus. Et quod primò occupationem bellicam attinet, hoc jure Lacedæmonios de diutinâ contentione suâ sponte desistentes Atheniensibus Imperii maritimi principatum concessisse, pacemq; his legibus constituisse, ut Athenienses mari Duces essent *Cornelius Nepos in Timotheo* testatur. Sic Agothocles Siculorum Rex Carthaginiensibus prælio devictis maris imperio positus est. *Diodorus lib. 20. cap. 63.* Romani Carthagine in ipso ferè mari deleta ejus Imperium occupaverunt *Flor. lib. 2. c. 6.* Per simplicem verò occupationem maris Creticil Imperium Minos acquisivit *Diodor. Biblioth. l. 4. Strab. Geograph. l. 10. Cedrenus p. 11.* Variis enim secutis Gentium migrationi-



bus, quæ à millenario secundo frequentissimè contigerunt multa olim occupata nunc inculta relicta fuerunt, & multa in censum populi antehac non relata possideri coepta sunt. De quibus migrationibus vide *Senec. 1. Cons. ad Helv. Liv. lib. 5. c. 33. Bernegg. Quest. in Tacit. 3.* Hoc jure mare Hadriaticum Veneti possident, quando ex vicinis in illa maris æstuaris & insulas adversus Attillæ furorem sese recipientes urbem sibi condiderunt, *Pac. de Dom. Mar. Hadriat. Francisc. de ingen. de jurisd. Venet. in mari Hadriat.* Et malè eorum proprietates maris à præscriptione aliis arcesitur. Per divisionem maris Dominium Japeto cesit, ut Autor est *Josippus 1. Antiqu. 6.* & ostendunt verba Euhemerii in Historia ab Ennio translata.



ta: Jupiter imperium Neptuno dat  
 maris ac insulis omnibus, ut quæ lo-  
 ca secundum mare essent omnibus  
 regnaret, citante Lactantio 1. de  
 fals. Relig. cap. 11. Hunc autem  
 Neptunum non alium quam Japhe-  
 tum esse doctissimi quique consen-  
 tiunt. Hinc ipse apud Homerum:

*Ego verò ex iis, quæ sorte tribue-  
 bantur,*

*Accepi cœruleum mare, ut in eo  
 semper habitarem.*

De præscriptione sciendum hanc  
 in mari vasto & nondum occupa-  
 to frustra requiri, utpote cui sola  
 occupatio sufficit, in partibus au-  
 tem occupatis, si jurisdictio unà  
 cum territorio præscribatur, de-  
 cem vel viginti annos sufficere,  
 sine territorio triginta vel qua-  
 draginta requiri Dd. plerique ajunt.

D 5

Balb.



*Balb. Tr. de Prescript. part. 2. princip. qv. 1. 2. 3.* Verum cum jura omnium provinciarum Regulis juris Romani civilis non satis aptè subjiciantur, rectius statuitur tanti temporis silentium in domino sufficere, quantum satis est alii non negligentis ad repetendum jus suum, aliàs nimirum censendus ac si juri suo renunciasset, & mare in pristinum suum collocasset statum, quod tanquam derelictum cuilibet occupanti cedit. *Conf. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 4. n. 2. & 12. Str. hic cap. 4. §. 5. Conring. de finib. Imper. c. 19.* Quartus acquirendi domini in mari modus est accessio. Communis enim Interpretum sententia est, ut Dominus vicinæ continentis maris alluentis Imperium habeat, *Roder. Suar. 1. de usu mar.*  
per



per *L. Insula ff. de Judic.* Sic Insula  
 in mari nata ad eum spectat, penes  
 quem est Imperium illius partis  
 maritimæ, quod plerumque ex vi-  
 cinitate æstimatur, scilicet quod  
 Dominus vicini territorii ratione  
 illius Imperium in mare alluens ex-  
 erceat. Quousque autem hæc vici-  
 nitas porrigatur non satis expedi-  
 tum est. *Bartol. in L. si tertius 6. pr.*  
*ff. de Aq. Pluv.* id dicit vicinum, un-  
 de vox clamantis exaudiri potest,  
 idq; ex *L. 1. §. 27. de SCto Syll.* probat.  
 Leo Imperator in *Nov. 71.* id vici-  
 num statuit, in quantum telum ab  
 arcu mitti potest, plerisque tamen  
 Dd. longitudo à littore ad centum  
 usque milliaria placuit. *Bart. de In-*  
*sul. n. 1. Paul. Castr. in L. 9. de Ju-*  
*dic. Capolla d. l. num. 17. Hier. de*  
*Mont. de Finib. reg. c. 7. num. 13.*



*Cacher. decis. 155. num. 3. Dissentit Grypbiander de Insul. cap. 14. n. 25. Alii ad 60. tantum milliaria extendunt Bald. in Rubr. de R. D. coll. 2. & ita in causa Ducis Allobrogum iudicatum refert Bodin. 1. de Rep. 10. n. 170. Variat nempe modus pro spatio maris ad possidendum vacuo, & ideò hanc in re certum quid definiri nequit, utpote quod unicè dependet ex moribus & institutis receptis singulorum populorum. Conring. de finib. Imper. c. ult. In cæteris acqvirendi modis, cum sint rarissimi, non immorabimur. Quæritur hic, an solum imperium in maris partem sine alia proprietate acqviri possit? id quod affirm., & quidem propterea, quod eo modo in terra sine territorio imperium possit acqviri, veluti si exercitum quis col-*



colligat, & ejus superior sit, neque enim ad esse imperii territorium requiritur, sed materia præexistens primaria populus est. *Grot. l. 2. c. 3. n. 4.* Ita si quis classem in mari nondum occupato habet, ejus dominiū acquirat, nec enim terræ jus maris cohæret. Exempla rem clarius demonstrabunt. Hinc enim olim Argivi cum Atheniensibus exostularunt, quod suo mari Spartanos Archivorum hostes transire siverent, quasi violato foedere, quo cautum erat, ne alter populus hostes alterius sine- ret ire per sui imperii loca. *Thucyd. lib. 4.* Et in induciis annalibus belli Peleponnesiaci permittitur Megaren- sibus in mari navigare, quod ad ipsorum sociorumq; terram pertinet. Sic mare omne quod Rom. est im- perii dixit *Dion Cass. l. 42. Them. de*



*Rom. Imper.* habens sibi subditam  
 terram & mare *Dion Pruse* ab Au-  
 gusto Tarsensibus concessum ait jus  
 in amnem Cydnum, & proximam  
 maris partem. *Virgil. i. Æneid.* ait:

*Qui mare, qui terras omni ditio-  
 ne tenerent.*

Apud *Gell.* Fluminum quæ in mare,  
 quæ imperium Romæ est, fluunt.  
 Notat *Strabo Lib. 3.* Masilienses  
 multa coepisse cum præliis navali-  
 bus vicissent eos, qui injustè de ma-  
 ri controversiam moverent. *Hug.  
 Grot. d. l. num. 13.*

## CAP. X.

*De modis retinendi imperii mariti-  
 mi Classe & Magistratibus.*

**P**ERSPECTIS jam acqvirendi maris  
 dominiis modis, consequens est,  
 ut quibus modis illud retineri pos-  
 sit



sit etiam scrutemur. Retinetur au-  
 tem non solum per classem ad id  
 comparatam, verum & per varios  
 in his clasibus constitutos præfe-  
 ctos. Cum enim per classem mare  
 detinetur hæc detentio pro posses-  
 sione merito habenda est, ita ut  
 nulla tum currat præscriptio. *Br in*  
*tr. Tyber. tit. de alveo. Cæpoll. lib. 2.*  
*de serv. rust. 26. n. 9. Gryphiander de*  
*insul. c. 14. n. 61. Bl. in l. si plures*  
*in 4. col. in pr. C. de cond. ins.*  
 Hinc Romani classes perpetuas  
 constituerunt, quibus hostes exclu-  
 derent, & suis transitum & transve-  
 ctionem, cum opus esset, darent.  
 Tales in mari quatuor erant, primæ  
 majores duæ prætorix dictæ Misen-  
 nensis & Ravennas ab Augusto in-  
 stitutæ, *Svet. Aug. Tac. 4. Annal. Ve-*  
*get. Lib. 4.* Minores autem fuerunt  
 alte-



altera in Gallia Narbonensi, colo-  
 nia & portu Foro Julieni, *Tac. 4 Ann.*  
*& Strabo lib 5. p. 127.* Altera minor  
 in ipso Ponto, cujus statio supra By-  
 zantium. Vid. *Lips not. ad 3. hist.*  
*Tac. Joseph. 2. c. 16. & Lips de magn.*  
*Rom. lib. 1. c. 5.* Postea Imperator  
 Trajanus in mari rubro etiam clas-  
 sem constituisse fertur *Sexto Ruffo*  
*c. 20.* Sed & classes in fluminibus ha-  
 bebantur, ut Rheno, *Florus: Bonnani*  
*& Geldubam pontibus junxit, classi-*  
*busq; firmavit.* Et Danubio *Tacitus:*  
*in Danubio operientem perfugit.*  
*Vannius l. 17. c. 30.* In primis autem  
 memoranda classis Seleucena O-  
 rontis, qui annis Syriae est Seleu-  
 ciam affluens, cujus meminit *l. un.*  
*C. Theod. & Just. de classic.* Alter  
 retinendi imperii modus in magi-  
 stra-



stratum maritimorum creatione consistit, cuius rei ap. Romanos itidem exempla reperimus. Apud eos enim Præfectus Prætorio Orientis II clasibus Orientalibus imperabat, & classicorum numerum ex incensitis atque accrescentibus supplebat *l. un. C. de class.* In Occidente verò sub Præfecto Prætorio Italiae classis Veneta, Ravennas, Comensis, Misenas, Viennensis, Bracania, Masiliensis, Ararica & Andertiana erant. Vid. *Onuph. Panv. descript. Imp. Rom. l. 3. fol. 418.* Mentio prætereà fit Archiguberni classis Britannicæ sub Adriano & Antonino Augusto in *l. 46. ff. ad S. Cr. Trebell.* de quâ & *Tacitus 4. historiar.* & vetus inscriptio Romæ in *Gruteri opere f. 493.*

Con-



Confer *Pontan. discuss. hist. 1. c. 5.*  
 Pertinet huc etiam Comes litoris  
 Saxonici per Britanniam, de quo  
 idem *Pontan. d. l. 1. c. 6. & c.* Magi-  
 stratus ejusmodi nostris tempori-  
 bus Admiralius dici coepit, & præ-  
 fectura ipsa Admiralatus. Ejus offi-  
 cium est jurisdictionem Reipubli-  
 cæ in mari integram servare, il-  
 lamque per actus ex dominio pro-  
 fluentes exercere, quod ipsum his  
 modis fieri solet, vel jubendo vel  
 vetando, vel permittendo vel pu-  
 niendo *arg. l. 7. ff. de LL.* Ei pro in-  
 signi est corniculum & ancora. *Vin-*  
*cent. Lup. Job. Til. Choppin. de do-*  
*man. lib. 1. tit. 15. §. 11. & 13. Petr.*  
*Gregor. Tholos. in Syntagm. jur. uni-*  
*vers. lib. 1. c. 3. §. 8.* De hisce in Bri-  
 tannico mari videatur *Selden. l. 2.*  
*de mar. claus. c. 14.* & de Admiratio  
 Gal-



Galliæ videatur de *Popellinire tr.*  
 qui inscribitur *L' Ammiral de Fran-*  
*ce.* Ricciol. in *Geogr. & hydrogr.*  
*reform. lib. 10. c. 38.* Morisot. in *Orb.*  
*marit. l. 2. c. 4. & seq.*

### CAP. XI.

*De modis retinendi imperii per*  
*actus imperativos, quales, ju-*  
*bere vela demitti, angaria,*  
*jus portus.*

QVod ad imperandum attinet  
 primo loco velorum submissio  
 das Segelstreichen occurrit, quæ  
 non novum est inventum, sed jam  
 antiquitus obtinuit teste *Appiano*  
*lib. 6. civil. & Lips. lib. 1. Elect. c. 23.*  
 & fit, ut experientia probat, duplici  
 respectu. Aut enim salutandi ani-  
 mo superior pars mali tantum de-  
 jicitur, es wird im Mittel Mast  
 die



die oberste Flagge / wenn man recht  
 gegen ein Königlich Castell komt /  
 ein wenig herunter gelassen / aber als  
 sobald wieder aufgezoogen / idq; non  
 subjectionis, sed amicitiae ac reve-  
 rentiae signum est reputandum,  
 quod iter sub Principis auspicio  
 consummare licuerit, nec majesta-  
 tem vel quicquam imminuit, sed  
 tantum quaedam quasi salutatio est.  
 Cujus rei singulare exemplum no-  
 tavit *Sleidanus lib. 22. histor. De na-  
 vibus interceptis edito scripto Ca-  
 sariani ferunt, cum nihil minus  
 quam bellum Caesar expectaret, ac  
 suis ut essent pacati mandasset, Gal-  
 licum Ducem Polinum in has inci-  
 disse, & quasi Reginam Scotia ve-  
 berent nuntiasse illis, ut honoris  
 causa pro more antiquo atque re-  
 cepto*



cepto antennas ponerent, vela demitterent, eamq; tormentorum tonitru salutarent. Id cum fecissent, inermes fuisse per fraudem circumventos & abductos. Aut majus velum demittitur in recognitionem dominii maris, & ad majorem reverentiam contestandam, & tamdiu retinetur demissum, donec navis castrum aliquod vel naves à Domino maris ad tuendum dominiū impositas præternavigans distantia illam, ad quam ictus bombardæ pertingere potest, excesserit. Es wird das Topsegel halb hernieder gelassen / und nicht eher / bis man einen Canon Schuß weit in die See ist / wieder aufgezo-gen / dafern die Schiffer nicht einen ieden Schuß / der nach ihnen geschicht / pro contumacia mit einem Rosenobel lösen wol-



wollen. Hanc autoritatem sibi omnes dominio maris gaudentes in recognitionem domini sumunt, & quidem jure. Idem enim est ac continuum domini exercitium, & quamdiu hac autoritate quis utitur, nulla adversus proprietatem ejus maritimam currere potest præscriptio. Si de hac velorum demissione inter Reges non satis convenire queat, sub certo pacti modo definiri solet, quod etiam factum est in pactis pacis Regum Sveciæ & Daniæ Ann. 1645. artic. V. 14, 15. nec tamen illa velorum demissio navigandi libertatem jure Gentium receptam minuit, & plerumque fit, wenn man entweder vor die Königl. che Pasteyen und Blockhäuser / oder vor ihre Drlogschiffe vorüber fährt / teste Myler. in addit. ad Comment.

Rume-



*Rumelin. in A. B. p. 3. dis. 3. th. 24.*  
*Hering. de Molend. q. 9. n. 64. Styp-*  
*mann. de jur. marit. p. 5. c. 1. th. 21.*  
*Loccen. de jur. marit. lib. 1. c. 4. th. 10.*  
*Conr. h. l. th. 38. Str. c. 6. th. 1.*  
*Morisot. in Orb. mar. lib. 2. c. 18.*  
 § 48. Deinde vi imperii exiguntur  
 præstationes seu angariæ navium,  
 quæ vox est persica, ut *Herodotus*  
*lib. 8. Hesychius* § *Svidas* & ex illis  
*Briffonius lib. 1. de Regio Persarum*  
*Principatu p. m. 147.* notant, quæ  
 vox, ex quo Persarum potentia Ori-  
 entem invasit, ad Hebræos transiit,  
 ut *Grotius in c. 5. Matth.* observat,  
 & ab illis ad Græcos, Eadem *Matth.*  
*c. 5. v. 21. c. 27. v. 31.* & alibi occurrit,  
 & nihil aliud quàm servitium seu  
 operam, quæ ab invito præstatur, si-  
 gnificat. Quo sensu *JCti* quoque  
 vocem angariarum & angariari na-  
 ves



*ves in l. 4. §. 1. D. de privil. veteran.*  
*l. 7. C. de Fabricens.* acceperunt. Sic  
 Sueci præstationem navium tinna  
 i. e. fervire appellant, Germani &  
 Belgæ pressen / quasi premere aut  
 exprimere. Dicuntur autem anga-  
 riæ munus, quod ob negotium ali-  
 quod, cui celeriter necessitate ita  
 urgente vehendis oneribus provi-  
 dendum est, publicè imponitur ab  
 eo, qui jura majestatis habet. Hinc  
 jure feudali inter jura regalia refe-  
 runtur *c. un. quæ sint regalia. 2. F. 56.*  
 Causa hujus oneris est necessitas  
 & utilitas publica in expeditione  
 Principali aut liberæ Reip. Omnes  
 enim in commune, si necessitas ex-  
 egerit, utilitatibus publicis obedire  
 convenit *l. multi C. de nav. non ex-  
 cus.* Et adversus jus publicum omnia  
 privilegia cessant. *Tabor in erudito  
 juris*



*juris metatorii commentario p. 2.*  
*c. 3. n. 9.* Nullius ab hoc onere na-  
 vis immunis est, ideò nec diverso-  
 rum nominum titulo, nec præro-  
 gativa personæ, nec privilegio di-  
 gnitatis aut beneficii hic se quis-  
 quam tueri, vel ab hoc onere excu-  
 sare potest, *l. 18. §. 24. ff. de muner.*  
*Et hon. l. 10. 11. C. de SS. Eccles. l. 1. 2.*  
*C. de nav. non excus. l. 4. §. 1. de pri-*  
*vil. veteran. l. un. C. de naut. Tyb.*  
*tit. C. de Navicular.* Ne ipsorum  
 quidem peregrinorum naves hic  
 immunitatem habent *l. ult. §. 22.*  
*ff. de muner. Et hon. Sixtin. de Re-*  
*gal. lib. 2. c. 13. n. 22.* sed pro congrua  
 mercede servire tenentur, nihil re-  
 morante, etiamsi mercatori sub  
 certa pœna merces alio devehere  
 promiserint. Quæritur hic, an pri-  
 vatus imponens onus proprium  
 E publi-



publico oneri de casu fortuito sequenti teneatur, si onus consentiente nauta receptum fuerit? & utrumque puniendum esse respondetur, nautam quidem, quia nullum jus ad recipienda privatorum onera habuit, sed solum vehendi species publicas: privatum autem quia consensus nautæ super re prohibita illum exonerare non potest / *qvi Roma, §. Callimachus ff. de V. O.* & ita in Senatu Mechlinensi iudicatum refert *Christin. ad T. C. ne quid on. publ. dec. 63. n. 21. Add. Perez ad d Tit. Rebuff. n. 1.* Quæritur item an damnum à Principe, cui istæ angariæ debentur, resarciendum sit, si naves in præstatione angariarum à prædonibus vel hostibus diripiantur, aut deteriores reddantur? quod non videtur, quia subditi obligationi ab ipsa



ipsa lege sibi imposita satisfacisse,  
 non naves suas Principi locasse cen-  
 sentur. *Peck. in tit. Cod. de nav. non  
 excus. p. m. 389.* & præterea nemo  
 ex alieno facto ordinariè obliga-  
 tur, sed suum cuique factum no-  
 cet *l. 155. ff. de R. J.* imò etiamsi  
 exterarum navium locatio facta  
 sit, tamen conductorem teneri  
 negamus, quia damnum prædo-  
 num vel hostium incursum datum,  
 casibus fortuitis annumeratur, nec  
 à conductore præstatur, cum absq;  
 ejus culpa accidat *l. 23. de R. J.* Ex-  
 cipitur tamen, si onus non nautam  
 sed universitatē respiciat, tunc enim  
 per eam succurri æquum est. *Peck.  
 d. l.* aut si ex singulari favore damnū  
 ipsi refundere velit, aut ipse vel per  
 suos damnū intulerit Princeps, quia  
 tum proprium intervenit factum,



& propterea ad satisfactionem tenetur. *Sixtin. de Regal. 2. 13. 77. & seq.* Si quid in fraudem hujus juris attentatum fuerit publicatione navis plectitur *l. 10. C. de SS. Eccles. l. 1. C. de nav. non exc.* Si verò naucleri obsequium negligentia remorentur, aut alii transvectionem impediunt, cum navibus, donec pareant, aut ex merito poenam luant, detineri possunt. *l. ult. C. de Fabricens.* Si quis autem recta navigatione contempta devia litora sectatus pub. annonam aut alia quæ deportanda suscepit, averterit & vendiderit jure R. ultimo supplicio afficitur. *l. 3, 4. C. quæ res venire l. 7. C. de Navic.* cui poenæ & emtores talium rerum quidam obnoxios esse, alii verò poena extraordinaria affici statuunt. *Peck, & Vinnius in d. l.*



d. l. 7. pag. 381. 382. 383. Succedit jus portus, qui est locus conclusus, quo exportantur & importantur merces *l. 59. de V. S.* Dicitur etiam statio locus, ubicunque naves tuto stare possunt, *l. 1. §. 13. ff. de flumin.* est publicus & hodie Regalibus accensetur *§. 2. J. de R. D. l. 4. §. 1. ff. eod.* *c. un. qva sint Regal. Bald. bic. n. 1.* *Cæpolla de S. R. P. c. 28. n. 2. vers. hodie & c. Tholosan. l. 9. de Rep. c. 1. n. 27. & l. 3. Syntagm. p. 1. c. 14. n. 7.* *Ricciol. in Geogr. & hydrogr. lib. 10. c. 9. Morisot. in Orb. mar. lib. 1. c. 24.* & nō solum mercibus inservit exonerandis, sed ut naves ibi tutum receptaculum habeant, & securitate ac jure debito fruantur navigantes, quatenus innocuum iter & stationem quærunt. Hinc nihil in litore aut ponte portui proximo



fieri debet, quo portus aut stationis  
 usus impediatur. *l. 1. ff. de flum. arg.  
 c. 19. de jur. naut. Svec.* & prohiberi  
 nemo potest libero ingressu aut e-  
 gressu portus Jure Gentium, nisi  
 quem istius loci Dominus pro hoste  
 habeat, aut ut hostem metuat. In-  
 de Megarensium querela quondam  
 justa visa fuit, quod contra liberta-  
 tem Græciæ & Jus Gentium Athe-  
 niensium portu excluderentur. *Dio-  
 dor. Sicul. Lib. 12. Plutarch. in Pericl.  
 Cun. in caus. postlim. p. 262. Mo-  
 risott. Orb. Marit. lib. 2. cap. 4.* Vi-  
 quoque imperii maritimi Præfectus  
 portus constituitur, qui in naves  
 unde veniant, quid vehant, quo ten-  
 dant, ad quem spectent & similia in-  
 quirat. Sic apud Maronem *Ænea  
 in portu Evandri delato Pallas qua-  
 rit 8. Æneid.*

Quo



— — *Quò tenditis? inquit:  
Quod genus? undè domo? pa-  
cemne buc fertis? an arma?*

Exiguntur prætereà Litteræ com-  
meatus, quas Magister navis à suo  
Magistratu exhibere tenetur, vul-  
gò certificationes dictæ, Gallis let-  
tres de charte partie. Tenetur in-  
super profiteri quas vehit merces,  
& ostendere publicanis, ne aliud  
pro alio profiteatur, vel merces  
prohibitæ importet exportetvè.  
*L. interdum ff. de Publican.* Ne  
quid occultet & supprimat, ne quid  
alienum, quod vectigal debet, suo,  
quod fortè immunè est, admi-  
sceat: atq; ut evitetur longa deten-  
tio, pœna publicationis bonorum  
aut commissi. Fidam hîc stationem  
habere, libereq; recedere solent  
naves mari jactatæ & errore itine-



ris expulsæ, vi aut tempestate in alienum portum velut ad alienum præsidium confugientes. Libertatem enim navigationis & commerciorum tollit, & ingentia naturæ munera in injuriam vertit, qui publicam in portu securitatem his denegat, quos illuc tempestatum vis ex alto & longæ navigationis languor appulit, cum hos extrema necessitas & miserabilis casus in alienam fidem confugere eiq; se ac sua committere adigit, ita ut cum his in eâdem causâ esse videantur, qui periculi vitandi causâ i. e. ruinæ, naufragii, tumultûs gratiâ apud aliquem res suas deponunt. *Cun. in caus. postlim. p. m. 262. 263.* Hinc in foedere pacis & Commerciorum inter Henricum VII. Angliæ Regem & Philippum Burgundiæ Ducem  
hoc



hoc etiam pactum est percussum,  
 ut naves vi aut tempestate in alte-  
 rius portum depulsæ tutum ibi re-  
 ceptum liberumqve indè egres-  
 sum haberent *c. 21. d. fœd.* Hoc  
 jus Gentium *Virgilius* intuetur 4.  
*Georg.*

*Deprensus olim statio tutissima  
 nautis.*

Et *Latinus* apud eundem 7. *Æneid.*  
 sic invitatur socios *Æneæ*:

*Sive errore via, seu tempestati-  
 bus acti*

*(Qualia multa marina nauta pati-  
 tur in alto)*

*Fluminis intrâstis ripas, portuq;  
 sedetis,*

*Ne fugite hospitium.*

Si verò hostiles aut Piraticæ naves  
 sint, aut pro iis habeantur, accessus  
 illis meritò denegatur. *Quin & ho-  
 stili-*



stitium navium continuam perse-  
 cutionem & in eas excursionem in  
 alieno freto vel portu excusamus,  
 si periculum in morâ sit. Jus enim  
 ac necessitas defensionis nullum  
 terminum agnoscere, omniq; inju-  
 riâ carere videtur, & fit prætereâ  
 hoc non alieni aut vicini territorii  
 fines violandi, sed vim hostilem im-  
 minentem à finibus nostris propul-  
 sandi animo *Besold. de Jur. territ.*  
*cap. 3. n. 4.* Faciebat id Trompius  
 classis Hollandicæ Præfectus An-  
 no 1639. Classi Hispanorum in por-  
 tu Duinensi Britannorum, contra-  
 dicentibus & prohibentibus licet  
 illis, quod potest quisque in suo ter-  
 ritorio. Quæritur hîc porrò, an  
 naves tam mercium ratione quàm  
 propriò jure ac privilegio exemptæ  
 & immunes istam mercium pro-  
 fes-



fessionem apud publicanos, inquisitionem & visitationem subire necesse habeant, quam alia naves vectigali oneratae subeunt. Et probatur negativa Lud. Rom. sententia in *L. interdum ff. de publican. n. 2.* secundum quam iudicatum refert *Christin. Volum. 5. Decis. 58. n. 13.* Confer *Peck. in Tit. Cod. de navic. & Vinn. ibid. p. 378.* Nonnullis quoque populorum institutis Princeps loci in mercibus in vectis jus prælationis vi Regalium in portum habet, ut præ aliis iusto pretio emat eligatque, quod ipsi ex mercibus placet, velut in *Jur. Sved. cautum est c. 1. de Jur. naut. c. 33. de Jur. merc.* Idem veteri Jure Norvvegico constitutum fuit *c. 9. de jur. merc.* Huc respexit *Chytraus in Chr. Sax. P. 2. p. 211*



ubi de Gustavo I. & Lubec. agit:  
*Naves ac merces invehctas ac eve-*  
*bendas primum Regis ministris in-*  
*spiciendas præbere, ac si quid Regi ex*  
*mercibus emere aut retinere libeat,*  
*jus Protimiseos ipsi concedere cogit.*

## CAP. XII.

*De imperandis vectigalibus, jure*  
*Stapule & similibus.*

**A**D hunc Imperii actum spectat  
 jus imponendi vectigalis, quod  
 inter Regalia locum itidem inve-  
 nit, adeoque solummodo ad Res-  
 publicas, quæ majestate fulgent, aut  
 hisce æmulas spectat. *Morisott.*  
*Orb. marit. lib. 2. cap. 19. Carpz. in*  
*Capit. Cas. cap. 8. n. 9. Everhard.*  
*Cons. Lib. 1. Cons. 20. & nihil aliud*  
 est, quam fructus Imperi maritimi  
 pro securitate transitus & onere  
 tuen-



tuendæ navigationis personis vel  
mercibus imperatus. Vectigal enim  
sive portorium instituere summi est  
imperii *L. 3. C. Vectig. nov. instit.  
non posse. L. 10. ff. de Publ. & Vect.*  
aut quibus hoc concedit suprema  
potestas, aut quibus tempore me-  
moriæ hominum excedente ac-  
quisitum est. *FF. omnes in c. un.  
quæ sint Regal. Dd. in Tit. C. nov.  
Vect. instit. non posse Vol. 5. Myns. 1.  
Obs. 30. & L. 4. O. 24. L. 5. O. 29. n. 8.  
seqq. & latè Bocer. Tr. de Regal. c. 2.  
num. 18. seqq.* & justè exigitur pro-  
pterea, quod penes imperantem  
stet, utrum transitum dare velit nec  
ne. Non enim majus jus dominio  
privati fundi, quam Principi terri-  
torii dare ratio permittit *L. 16. ff. de  
S. R. P. L. 3. §. 1. ff. de A. R. D.* præser-  
tim cum vectigalia solventibus se-



curitas per territorium & damni re-  
 stitutio repromittatur *Nov. 134. c. 4.*  
 Accedit ingens sumtuum moles,  
 quæ ad tuitionem maris & veram  
 in eo securitatem præstandam exi-  
 gitur, quorum sublevamen quin  
 porrigant illi, qui securitate fruun-  
 tur, quis negare ausit, *Bald. in Rubr.*  
*ff. de Rer. Div. Coll. 2. vers. sed num-*  
*quid*, ubi dicit totum mundum  
 hoc jure uti, & in *L. 3. Coll. fin. C. de*  
*naut. fœnor.* notat Pedagias ita solvi  
 in mari sicut in terrâ, quem refert  
 & sequitur *Afflict. ad c. un. Verb. vec-*  
*tigal. n. 101. Bertachin. Tr. de Ga-*  
*bell. Part. 1. Coll. 4. v. 6. quæro & p. 6.*  
*coll. final. Cachet. decis. 154. per tot.*  
 Hinc ab illius præstatione nemo est  
 exclusus, exceptis iis, qui singulari  
 immunitate gaudent, quales sunt  
 Prin-



Principes & illustres Personæ, Fi-  
 scus Nobilitas *L. omnium 6. pr. C. de Vectig. Petr. Frider. Lib. 2. de Mandat. c. 42. n. 6. Bocer. de Regal. c. 2. num. 197. Legati L. 8. C. de Vectig. Clerici c. quæquam 4. X. de Cens. in 6. Ecclesiastici ac navicularii L. 6. C. de Vect. & Commiss. si in propriam utilitatem ususque proprios non lucri faciendi gratia bona sua secum vehant L. 5. C. de Vectig. L. 4. §. 1. L. ult. §. 3. & 9. ff. de Publ. Jac. van der Græff ad L. non dubito ff. de Capt. & Postl. C. 30. num. 11. pag. 262. Eximuntur prætereà eæ res, de quibus nunquam vectigal præstari solitum *L. locatio 9. §. 6. ff. de Publ. Res Exercitui paratæ §. 7. Res Fisci §. 8. Res ruris exercendi gratia & ad pro-**



proprium commodum, usum & vi-  
 ctum destinatae *L. 5. C. de Vectig.*  
*L. ult. §. Divus 9. ff. de Publ. & Ve-*  
*ctig Clem ult. de Cens. Petr Gregor.*  
*Tholos. in Syntagm. Jur. univers.*  
*Lib. 3. c. 9. §. 5. & 6.* Quibus Autores  
 res Studiolorum addunt, ut & Do-  
 ctorum & Professorum, *Frider.*  
*Lib. 2. de Mand. Jud. Cap. 42. n. 6.*  
*Rulant. de Commissar. P. 4. Lib. 2.*  
*c. 5. n. 28. & 35. Vanzell. in Tr. de Pe-*  
*dag. P. 5. n. 6.* Quò pertinent *Rec.*  
*Imp. de Anno 1500. §. it. Solln Chur-*  
*Fürsten/ & Wormatia de Ann 1521.*  
*§. it. Solln ChurFürsten & Ord.*  
*Cam. P. 1. Tit. 49. in pr.* Debet au-  
 tem vectigal in valore monetæ cur-  
 rentis solvi, non eò qui tempore in-  
 stitutionis fuit, cum ratio eadem  
 sit impositionis nempe reparatio  
 viarum & persecutio latronum,  
*L. cum*



*L. cum quid ff. si cert. pet. Sola in  
 Antiq. Sab. Const. Tit. de pact. int.  
 Emt. n. 84. Tessauro. Dec. Pedemont.  
 214* ubi ita iudicatum dicitur. Si  
 quis non professus fuerit omnes  
 merces, pro quibus vectigal debe-  
 tur, in commissum cadunt aut fisco  
 cedunt occultatae *l. 4. §. 5. ff. de Off.  
 Procons. l. 3. C. de naut. foen. l. 7. C. de  
 Navicul.* etsi publicanus non admo-  
 nuit transeuntem *l. ult. §. dixi quoque  
 ff. de publican.* Hinc qui fraudandi  
 vectigalis ergo per devia transit, à  
 solutione ejusdem minimè liberatur,  
 imò res ipsæ in commissum cadunt.  
 Item si vetitæ merces advehantur,  
 vel cum illis ad hostile solum na-  
 vigetur, eadem in commissum ca-  
 dunt *l. 2. C. quæ res exp. non deb.*  
 Naves autem errore viæ, vi tempe-  
 statis, metupiratarum aut aliorum  
 ho-



hostium probabili, aut reparatio-  
 nis causa ex necessitate in portum  
 actæ vel relatæ pro non soluto ve-  
 ctigali commisso non vindicantur  
*l. 15. l. 16. §. 8. D. de public. Peck. ad*  
*l. 5. C. de Navic. Christin. vol. 5. de-*  
*cis. 61.* nisi quod quarundam Gen-  
 tium instituto pecuniæ aliquid pro  
 tuta statione præstari solet, quam  
 vulgo pecuniam anchorariam vo-  
 cant, ut ex *art. 12. Pacif. Suec. Dan.*  
 videre licet. Poena commissi etiam  
 hæredes defraudantis tenet, si mo-  
 do vivo eo qui deliquit quæstio mo-  
 ta sit, & sententia declaratoria sub-  
 sequuta, qua illud crimen commis-  
 sum fuisse declaratur. *l. 8. l. 14. l. 16.*  
*§. 13. de publican. Sixtin de Regal. 2,*  
*6. n. 167.* Quæritur hic num & alte-  
 rius socii pars commissa sit? si so-  
 cius, qui rem communem portat  
 vecti-



vectigal non solvat, item si publi-  
 cis rebus privatæ sunt adjunctæ, an  
 ob defraudatum vectigal & privatæ  
 in commissum cadant? ad quas du-  
 as quæstiones negativè hic merito  
 resp. & ad 1. quidem per *l. fraudati*  
*8. §. 1. ff. de publ. & vect. l. Co-*  
*tem 11. §. dominus vers. quod si ab-*  
*sente & l. ult. §. magnus ff. d. l. item q.*  
*l. sancimus 22. C. de pœn. Bocer. de*  
*Regal. c. 2. n. 210. ad secundam verò*  
*per l. publicanus §. 1 ff. de publ. Bald.*  
*ad l. 3. ff. de fœn. naut. Guid. Pap.*  
*decis. 572. Christin. vol. 5. decis. 58.*  
*Peck. ad l. 1. de Navicul. num. 6.*  
 Pertinet huc & jus erigendi vascu-  
 la eminentia, in quibus ignis ali-  
 tur, Feuer halten / item potestas  
 ponendi stipites coronatos cor-  
 bes impositas in summitate osten-  
 tantes Baken / palos introrsum,  
 im-



implicatos Capen / exstruendi pha-  
 ron, Luchten oder Blüfen / quæ omnia  
 pro securitate navigantium inventa  
 sunt, ut eorū aspectu propiorē ad li-  
 tora accessum evitare queant. *Styp.*  
*p. 2. c. 4. n. 246.* item ut periculosa lo-  
 ca tonnis notentur, quæ ancoris su-  
 stinentur, & suprema parte rotundæ  
 & latæ sunt, inferiore graciles pice  
 inunctæ, quæ maximā partē in ena-  
 vigando ad dextram jacent, in rede-  
 undo ad sinistram, & si periculum  
 ab arenis alicubi est, tonnæ albæ ibi  
 locantur. Ubi commodè ancoræ  
 possunt dimitti, ancoræ signum sta-  
 tuitur, ubi scopuli cœci vitandi cru-  
 cis signum † apparet. Annexum  
 quoque dominio maritimo est jus  
 stapulæ, & quidem vigore hujus  
 actus imperii domino maris com-  
 petit. Dicitur autem stapula ab an-  
 tiqva



aliqua voce teutonica Stapel / quod  
 forum denotavit. *Salmas in observ.*  
*ad jus Att. c. 5.* & est jus merces ex-  
 ternas in portum delatas sistendi, ut  
 non prius quam venum ibi exposi-  
 tas alio transferre liceat. Est hoc  
 jus vetus cum crescente mercatura  
 introductum, priscisq; Græcis du-  
 dum usurpatum, in primis tamen in  
 illis locis institutū, ubi commodi-  
 tate situs, maris & fluminis pub. be-  
 neficio jus emporii exerceri potuit,  
 & in triplici est differentia. Primum  
 enim est jus stapulæ, quod annexam  
 habet vendendi necessitatem, de  
 quo agit *Guicciard. in descript. Belg.*  
*p. 181.* & *Bronchorst. in Praef. tit. de*  
*R. J.* Secundum genus tantum ex-  
 onerare merces jubet, & vectigal  
 solvere, Tertium quando Principes  
 mercatoribus certis, vel etiam uni-  
 versi-



versitatibus copiam faciunt merces  
 suas in certum locum deferendi. De  
 quibus *Lehman. Chron. Spir. l. 4. c. 22.*  
 ubi de stapulis ad Rhenum sic ait:  
 Daß sie haben die Gerechtigkeit erst-  
 lich: welche Schiffe den Rheinstrom  
 auf- und abfahren / und mit staffelba-  
 ren Gütern beladen seyn / daß sie da-  
 selbst aufkehren / dieselbe ausladen /  
 ins Rauffhaus führen / niederlegen /  
 und davon die Schuldigkeit zahlen  
 müssen / welche nach entrichteten ge-  
 bührlichen Accis überschlagen / das ist /  
 in andere Schiffe oder auf die Axt ge-  
 laden / und in die OberRheinische Lan-  
 de verführet werden / wie denn die  
 Stadt Speyer und deren Schiffleute  
 von alters die Schifffahrt auf Straß-  
 burg gehabt / und davon vermöge  
 Käyser Friedrichs privilegii de da-  
 to 1181. nicht mehr denn 13. Heller ha-  
 ben



haben dürfen geben; die andere Eigenschaft oder Berechtigung der Staffeln ist vor alters gewesen und noch nemlich / Kauffhaus / Krane / Schiffer und Rarher / desgleichen Kauffhaus Obherrn / Krane Meister und Kauffhausknecht. Die dritte / daß die Kauffhaus Verordnete über die aufgeladene und niedergelegte Staffeln Wahren / ob sie von Würden oder nicht erkennen oder nicht / richten / und die / so unfertig / verwerffen / und den Fahrten zu Schiff und der Axt Ordnung aussagen. Ita nimirum se res habet, quod jus stapulae gradus suos habeat, pleniusque jus aliquando, quandoque minus plenum contineat, prout summæ potestati placuit, ab illis tamen, quibus licet, hoc jus ita usurpari debet, ut non extendatur ultra licitum, & in specialibus



bus ac certis constituatur mercibus,  
 & ad certa loca restringatur, ne una  
 Respublica aut provincia monopoli-  
 um orbis, aut plurium provincia-  
 rum contra *l. un. C. de monopol. ex-*  
*ercere velle videatur.* Potest tamen  
 Princeps vi imperii maritimi etiam  
 peregrinos in ipsius terris mercan-  
 tes in portus & terras suas cogere,  
 ne ad quosvis & vetitos, sed licitos  
 portus naves suas appellant, ibiq;  
 negotientur, nec illis, qui ad jus sta-  
 pulæ adstringuntur, integrum est ad  
 hoc declinandum novas vias aut  
 elusiones quærere, ne per indire-  
 ctum sequantur, quod directo est  
 vetitum. *Nicol. Everard. Jun. cons 9.*  
*n. 82. Mev. in jur. Lub. lib. 3. tit. 6.*  
*art. 7 n. 7. & seq. Vid. Ord. Gust.*  
*Magni de mercat. art. 1. Quod*  
 quamvis durum esse & libertati  
 com-



commerciorum præjudicare alienoq; juri derogare videatur, tamen aliud erit sentiendum, si civitas beneficium hoc speciale ritè à Principe impetrarit *l. 2. §. si quis à Principe ff. Ne quid in loc. publ. Fab. in reg. Jur. 191. p. m. 755.* Peregrini quoque in aliquo loco versantes negotiantes & contrahentes tanquam subditi temporarii legibus & juri istius loci subjiciuntur. *Grot. de J. B. & P. 2. 11. 5.*

### CAP. XIII.

*De actibus imperii prohibitis.*

SECUNDUS imperii actus vetando exercetur. Vigore igitur hujus Dominus maris prohibere potest, ne contra mandata ejus navigetur *l. 15. de pub. & vectig.* cujus legis initio pro Cæsare legendum vult

F

Cen-



Censor *Forner. select. lib. 1. c. 25.* sed frustra. Ne in mari ædificetur jactis in idpilis *l. 3. §. 1. ff. Ne quid in loc. publ. l. 24. ff. de damn. infect. l. 1. §. si in mare ff. de flum.* adeò ut hæc imperii pars in perpetuam abierit jurisdictionem. Prætor enim interdictionem dat ne quid in mari *l. 1. §. 17. ff. de flum.* atque ut omninò in mari ædificari liceat Prætoris decreto opus est *l. 50. ff. de A. R. D.* Ne noctu navigantes lumine ostenso fallantur. *l. 10. ff. de inc. ruin. naufr.* Ne ars conficiendi naves barbaros doceatur, *l. ult. C. de pæn.* Ne ancoras jacere liceat *Alexand. cons. 13. lib. 6 col. 4.* cujus concessio jus ancoragii, jus portugalii aut exituræ *Roman. cons. 271. Borell. ad Bellug. spec. princ. rubr. 1. lit. m. in fin.* Albergum etiam Italis dici tra-



tradit *Frizius de jure mar. p. 340.*  
 Porro imperium maris hoc quo-  
 que præstat, ut navigatio prohiberi  
 possit. *Bart. in rubr. ff. ut in flum.*  
*publ. Strach. de navig. n. 6. Angel.*  
*conf. 290.* ubi de jure prohibendæ  
 Venetorum, & prohiberi non so-  
 lum transitu personæ sed & res pos-  
 sunt. Neque enim personis tantum  
 sed & mercibus negari potest transi-  
 tus, si utrobique par ratio subsit,  
 & quamvis societas inter homines  
 communis exigat, ut alterius suc-  
 curramus indigentia, hoc tamen  
 non ita intelligendum est, ut qui  
 indiget, jus exigendi inde acci-  
 piat, & quasi suo jure id sumat,  
 sed tua gratia, quousque nimi-  
 rum sine tua fraude damnove id  
 fieri potest. Vid. *Ludov. Molin.*



*de J. & J. tract. 2. dis. 105.* Non enim propter tuum incommodum jus in meo meum tollitur, & solus etiam metus ad inhibendam navigationem sufficit, nec aliter denegatio transitus, belli, siquidem id justum futurum, causa justa est, nisi sine ratione justa & per injuriam meram denegetur. Liberum itaque transitum qui affectat, eum ab hoc, qui cum imperio est, impetrare debet, cujus rei exemplum habemus *Num. 20. & 21.* ubi Moses per fines Idumæorum & Emorraeorum transiturus cautionem offert, se via regia iturum, nec ad possessiones privatas deflexurum. Ratio ejus rei hæc traditur, quia periculi metus ab extraneo præsertim cum armis & classe transituro justus est. Ideò voluntas Imperantis omninò est explo-



exploranda, cum vel hoc libero  
 quovis homine indignum sit ab al-  
 tero necessario periclitari, & ad in-  
 jurias nudari. Hinc jam olim Car-  
 thaginenses Romanis modum po-  
 suerunt, iisque ne vel Africam vel  
 Sardiniam nisi commeatus recipi-  
 endi aut naves reficiendi causa ap-  
 pellerent interdixerunt teste *Poly-  
 bio foed. Carthag. cum Rom.* Sic  
 Reges Hispaniae & Daniae naviga-  
 tionem in Indias & Islandiam ali-  
 asque insulas ab ipsis prius occupatas,  
 & in provinciae formam redactas  
 prohibent. *Franc. Balb. tract. de praes-  
 script. 4. part. 5. princ. q. 6. Beneven.  
 Stracha tract. de navig. n. 6. & 7.  
 Hier. Schurf. cons. 29. cent. 3. Job.  
 de Platea & Angel. Ant. in S. flu-  
 mina J. de R. D. Idem Angel. cons. 290.  
 Bart. Coepol. tr. de serv. urb. praed.*



c. 16. n. 3. *Et seq.* ubi Venetos tanquam  
 Superiorem non recognoscentes  
 omnes homines prohibere posse  
 ait, ne per eorum mare navigent,  
*Junge Dinner. de just. rer. pret. qv. 3.*  
*n. 24.* Non obstat, quod *Grotius* ait:  
*jus meum metu tuo non tolli, Et ne-*  
*gatum per causam transitum vin-*  
*dicari posse 2. de J. B. c. 2. n. 13.* Quis  
 enim existimet libertatem territo-  
 rii, quæ universitas agrorum est,  
 non minui propria auctoritate &  
 inconsulto Domino transeundo,  
 cum agelli unius libertas hoc mo-  
 do minuatur itinere alii permisso.  
 Imò si servitute itineris, actus aut  
 viæ jure constituta minuitur prædii  
 libertas, quid non mero transeun-  
 tis facto usurpata minuatur? quare  
 enim jus eundi per alienum quis  
 ha-



habere potest Principe invito? quod per privati alicujus fundum iturus nisi servitute quaesita habiturus non sit. *l. 13. §. ult. ff. de injur.* & quae de itu diximus eadem de navigatu vera sunt. Posito etiam sed non concessio jus tibi esse, nonne constringi potest, si securitati inde metuamus. Securitas enim bonis externis Reip. annumeratur, quae nemini invito usurpative attrectari debet, & servile praeterea est, atque hominis liberi conditioni repugnat inevitabili necessitate ab altero metuere cogi. Nec ad rem facit, quod addit Grotius, cavendi nimirum rationes esse, ut Dominus securus sit, inde enim sequitur metu suo jus tuum impediri, quamdiu securitati meae cautum non fuerit,



& ita sibi magis quam nobis in eo adversatur. Incidit hic nobilis illa quæstio, num vigore imperii in mare liceat durante bello certarum mercium subvectionem hosti subministrandam ab illis, qui neutrarum sunt partium, vel ab aliis prohibere? id quod non tantum imperii maritimi, sed belli quoque jure licere affirmamus. Omnis enim hostis censensus, qui facit quod hosti placet, *Agath. lib. 3.* & omnis qui audaciorem hostem facit, opem & auxilium hosti ferre dicitur. *Bald. ad l. 5. C. de accus.* Hinc olim *Corcyrenses* ap. *Thucyd. lib. 1.* ajebant, *Atheniensium officii esse, si extra partes esse velint, aut Corinthios, ne ex agro Attico militem conducant prohibere, aut idem sibi permittere.* Quis enim negare ausit eum,



cum, qui instrumenta bellica & alia  
 quæ saltem ut causa sine qua non  
 belli sese habent, suppeditat, de ipsa  
 hostili actione participare? Qvis  
 prætereà hunc transitum innoxium  
 esse dicat? quo merces tanquam  
 instrumenta ad bellum sustinen-  
 dum, actionemq; hostilem exer-  
 cendam comparata transportan-  
 tur. Nec eo obtentu quod neutri  
 parti addictus sis juvaris. Is enim  
 neuter est, qui neutrum juvat. Re-  
 ctè ergo ac prudenter Regina An-  
 gliã Elisabetha civitatibus Hansea-  
 ticis conqverentibus naves suas à  
 classe Anglica contra fœdus, quo  
 cavetur, ut illæ civitates tuto pos-  
 sent amicæ esse etiam hostibus An-  
 gliã, & cum iis commercia habere,  
 spoliatas respondit: non esse hoc  
 colere cum utrisqve amicitiam, si



alteros lædas, juves alteros: imò  
hoc esse auxiliari hostibus, & cum  
his adversum alios facere. *A. Gen-  
til. de J. B. lib. 7. c. 22. p. 438. Tbuar.  
lib. 96.* Idem est *Ambrosii* effatum  
*III. de offic. c. 9. si non potest alteri  
subveniri, nisi alter lædatur, com-  
modius est neutrum juvari, quam  
gravari alterum.* Locum etiam  
hic illud *Amalaventhæ* ad *Justi-  
nianum* apud *Procop. 1. Gotb.* habet,  
*in hostium esse partibus, qui bello  
necessaria hosti administrat. Mo-  
risot. in Orb. mar. lib. 2. c. 19.* *Vigo-  
re* hujus imperii Dominus maris  
jus piscationis etiam sibi vindicare,  
aliosq; ab ejus exercitio repellere  
potest. Dicitur quidem §. 12. *J. de  
de R. D.* animalia in mari nata sta-  
tim fieri capientis, ut & feras be-  
stias: verùm, quemadmodum do-  
minus



minus territorii aliquem ab ingresso  
 su ejus arcere potest, ita & Domi-  
 nus maris reliquis aditum ejus, si  
 scilicet hoc malo animo fiat, meri-  
 tō interdicerere potest. Accedit quod  
 majestas plerumque sibi hoc jus ho-  
 diè reservarit, illudq; inter regalia  
 recenseatur. *c. un. quæ sint regal.* Id  
 quod haud immeritō fieri ex ante-  
 dictis sufficienter patet, dum jura  
 Gentium à jure civili immutari pos-  
 se & in hoc loco mutata esse dixi.  
 Olim quoq; ipsam piscationem ali-  
 quantulum restrictam fuisse ex *Ju-  
 venalis Sat. 4.* colligere licet. In hac  
 enim Poeta Domitianum perstrin-  
 git, quod piscationem rhombi soli  
 sibi attribuerit. Nec prætereà sequi-  
 tur, quod omnib; promiscuè piscari  
 liceat, quando pisces capientiū fieri



dicuntur jure Gentium. Diverſæ enim quæſtiones ſunt, quem modum acqvirendi jus Gentium probet, & cui jus ſit hoc acqvirendi modo uti. Hoc pendet ex permiſſione vel prohibitione Principis. Quemadmodum porrò fera in alieno privati fundo contra prohibitionem domini capta ex veriori Interpretum ſententia capientis fit: ita in Principe jus prohibendi ſalvo acqvirendi jure Gentium modo ſtare poſſe nihil impedit. Et ſufficit denique nos hic agere de jure quærendo, quod minuere Princeps omnino poteſt. *Gloſſ. & Dd. in l. ſervos Creditoris C. de pact. Gail. 2. O. 142. Heig. qv. ult. n. 15. Decian. reſp. 5. num. 20. vol. 1. Aim. Cravet. Conf. 332. n. 18.* Reſtringit quidem Magnus ille *Grotius c. 5. p. 76. de mar.*



*mar. lib.* hoc jus piscandi ita, & Ma-  
 jestatem subditis quidem piscatio-  
 nem non autem peregrinis interdi-  
 cere posse ait: at hanc sententiam  
 suam ipse erroneam esse agnos-  
 cens in *lib. 2. de Jur. Bell. ac Pac.*  
*c. 2. n. 5.* refutavit, sic inqviens:  
*De feris, piscibus, avibus illud no-*  
*tandum est, qui imperium habet in*  
*terras & aquas, ejus lege posse im-*  
*pediri aliquos, ne feras, pisces, aves*  
*capere, & capiendo acquirere eis*  
*liceat, atq; hac lege teneri exteros.*  
 Idem statuit Imperator Leo No-  
 vell. 56. in fin. Sicut terrenis locis  
 prater voluntatem domini ex alie-  
 no fructu percipere nemini concedi-  
 tur, sed si quis fructu ex alieno colli-  
 git, eos vel benignitate domini per-  
 cipiat, vel pro loci usu vectigal solvi  
 necesse est. Sic etiam maritimis oris



*observari precipimus.* Testantur  
 prætereà hujus rei exempla *Selden.*  
*lib. 2. de mar. claus. pag. 437.* Ex fœ-  
 deribus cum vicinis Principibus ini-  
 tis toties ejusmodi libertas ita u-  
 trinq; indulta fuit, ut constante fœ-  
 dere velut ager compascuus tam  
 fœderato utenti quam Anglo Domi-  
 no mare deserviret. Sic constat Hol-  
 landis in mari Britannico jus pis-  
 candi haleces concessum esse ex  
 fœdere pacis ac mutui commercii,  
 quod inter Henr. VII. Angliæ Regem  
 & Philippum Archiducem Austriæ  
 & Burgund. Ducem Londini Ann.  
 M CCCC LIX. initam est, & in-  
 tegrum extat in Apologia *Boxbor-*  
*nii pro navigat. Holland.* in primis  
 c. 14. Iisdem ut & Anglis aliquan-  
 do in Scania & Norvvegia indul-  
 tum



tum esse ex annalib. constat. Vid. Pontan. lib. 1. discuss. hist. c. 21. Str. b. l. c. 8. th. 5. Cuicunque verò vel in mari aut flumine publico, aut eorum diverticulo piscari fas & jus est, ita piscabitur, ne per id usus navigationis impediatur. l. 1. § t. t. ff. Ne quid in flum publ. Theodoricus Rex Gothorum apud Cassiodorum lib. 5. Var. ep. XX. Comperimus quosdam sepibus cursum fluminis, quantum ad navigandi studium pertinet, incidisse, quod volumus modis omnibus amputare, nec tale aliquid permittatis quæquam ultra presumere, sed inviolati alvei tractus navium relinqvatur excursibus. Scimus enim retibus non sepibus esse piscandum.

CAP.



## CAP. XIV.

*De actibus imperii punitivis.*

**A**D imperium maritimum porro pertinet curare, ut malis hominibus provincia purgetur, *l. 3. ff. de off. Pres.* quod non magis in ditio-  
ne continentis quam maritima ob-  
tinet. Maleficia autem vel utrique imperio & terrestri & maritimo communia sunt, vel huic propria. Utraq; vel publica vel privata. In publicis judiciis primum est crimen læsæ Majestatis. Hoc committitur, si quis securitatem maris turbat *l. 1. ad L. Jul. Majest.* arma fert contra Rempubl. *d. l. hostes* commeatu, eqvis, armis, telis, pecunia alia-  
ve re adjuvat *l. 4. eod.* navem pro-  
dit *arg. l. 10. eod.* vel integram clas-  
sem hostibus prodere attentat. In  
hoc



hoc enim crimine etiam conatus  
 pro facto punitur. *l. 5. l. 6. C. ad L.  
 Jul. Maj.* Poena proditæ navis apud  
 Athenienses mors fuit. Idem jure  
 Romano cavetur § 3 *de public. jud.  
 d. l. 5. C.* quanquam varii cruciatus  
 & exquisitissimi doloris, veluti quod  
 vivi in quatuor partes difsecantur,  
 vel quadrigis discerpantur, aut quæ  
 pro atrocitate criminis & circum-  
 stantiarum varietate alia truculen-  
 tiora excogitari possunt, addi so-  
 lent. Lege Julia de vi publica tene-  
 tur, qui arma domi suæ præter na-  
 vigationis usum habet *l. 1. ad L. Jul.  
 de vi publ.* qui hominibus armatis  
 possessorem navi sua dejicit, vel  
 eam expugnat *l. 3. §. fin. ad L. Jul. de  
 vi publ.* poena est publicatio bono-  
 rum & deportatio §. 8. *J. de publ.  
 jud. l. 10. §. fin. ad L. Jul. de vi publ.*

Ho-



Hodie fustigatio cum relegatione  
*Carpz. pr. Crim. p. 1. q. 40. n. 7.* Lege  
 Julia de vi privata punitur, qui ali-  
 quid ex naufragio dolo malo rapit  
*l. 1. § 1. ad L. Jul. de vi.* Nulla enim  
 vis nautis fieri debet, & si quis hoc  
 fecerit severissimè puniendus est  
*d. l. 1. §. 2.* Poena hujus criminis est  
 publicatio tertiæ partis bonorum  
*l. 1. eod.* Hodie arbitraria *Jul. Clar.*  
*l. 5. sent. §. fin. q. 83. vers. vim publ.*  
 Lege Cornelia de sicariis tenetur,  
 si quis naufragium suppressit *l. 3. §. 4.*  
*ad L. Corn. de Sic.* vel quorum con-  
 filio & fraude naufragi per vim sup-  
 pressi, ne navi vel in ea periclitan-  
 tibus opitulentur. *l. 3. §. 8. de incend.*  
*ruin. naufr.* Poena hujus criminis ju-  
 re civili fuit deportatio, vel pro di-  
 versitate circumstantiarū ultimum  
 suppliciū, & ad bestias damnatio *§. 4.*  
*de publ. jud. l. 3. §. 5. ad L. Corn. de sic.*

Ho-



Hodie arbitrariè puniuntur, ut annotavit ad *L. 5. C. de naufr. Simon GræneWeg. in LL. abrogat.* De falso tenetur, qui naves suas diversis nominibus & titulis in fraudem publicæ tuetur necessitatis. *l. 1. C. de nav. non excus.* Poena est, quod navis in commissum cadat. Omnibus enim in commune, si necessitas exigat, publicis utilitatibus convenit obedire, & subjectionem sine dignitatis privilegio celebrare *d. l. 1.* Qui falsis literis & sigillis utitur *l. 29 § 2. ibi fals. diplom. ad L. Corn. de fals.* Illud frequens est apud nautas præsertim belli tempore, & vocantur hæ literæ *Surdenbrieffe* / quia pro re nata modò has modò illas proferunt. Pununtur *L. Corn. de fals. l. 25. ad L. Corn. de Fals. l. 30. eod.* deportatione vel publicatione bonorum, & prætereà actione poenali in factum *d. l. 25.*  
Ho-



Hodie amissione navium & mercium puniri solent. Qui effugientorum munerum causa imaginem navicularii induit *l. 3. §. 9. de jur. immun.* nihilominus tenetur illud munus sustinere *l. 4. §. fin. de muner.* Lege Julia repetundarum Senatori navem habere non licet *l. 3. in fin. de vacat. muner.* Si contra fecerit extra ordinem exilio vel durius punitur *l. 7. §. fin. ad L. Jul. repetund.* Lege Julia de annona tenetur, qui navim nautamve retinet, aut dolo malo facit, quo magis retineatur *l. 2. §. 1. ad L. Jul. de ann.* Poena est viginti aureorum *d. l. 2. §. fin.* Peculatus verò reus est, qui pecuniam trajectitiam furatur *l. 9. §. 4. ad L. Jul. pec.* Delicta imperii maritimi propria vel contra rem nauticam, quo ea lædatur, perpetrantur



trantur, vel à nautis ipsis commit-  
 tuntur. Contra rem nauticam pi-  
 ratica exercetur. Delinquentes hoc  
 modo in jure dicuntur prædones  
*l. 3. §. 1. de inc. rui. naufr.* latrones  
*l. 7. eod. tit.* aggressores in mari *l. 3.*  
*§. 3. de inc. ruin naufr. Nov. 134. c. 13.*  
*vers eos. latrunculi l. 3. §. 2. & cum*  
*epitheto marini c. præterea 12. caus.*  
*23. q. 8. proprio nomine piratæ l. 3.*  
*§. 1. Naut. caup. l. 18. Commod. l. 19.*  
*§. 2. de capt. Et postl. à transeundo*  
 sic dicti, Græcè vocantur *Κυρσιαρjoi*  
*Gotbofr. in l. 10. C. de fer. lit. b.* Gal-  
 licè Corsaires, Italis Corsaro,  
*Schard. in Lex. jur. Germ. See-*  
*oder MeerRäuber.* Hi à Zonara  
 pessima natio dicuntur, *Gotbofr.*  
*d. l. & sunt eorum scelera multa,*  
 tum quod securitatem maris tur-  
 bent. *l. 5. C. de naut.* tum quod spo-  
 lient,



lient, rapiant & occidant navigan-  
 tes, l. 3. §. 1. l. 6. de inc. ruin. naufr. Na-  
 ves quibus utuntur prædatoriæ vo-  
 cantur, & sedes ubi consistunt *πειρα-  
 τηεα Scard. in Lex. jur. verb. Pirat.*  
 Ingens eorum multitudo antiquis  
 temporibus imprimis in mari Bal-  
 thico fuit, qui speciali nomine dicti  
 sunt *Vitallien Brüder Mar. Bal. p. 12.*  
 Inter hos famosissimos illos duos  
 piratas *Niclaum Stortenbecker / &  
 Götke Michel /* qui tandem capti &  
 Hamburgi decollati sunt *Ann. 1402.*  
 Principes fuisse ajunt *Gryphian. de insul. c. 22. num. 53. & Ub. Emm. rer. Fris. lib. 17. Hinc Cranz. Wand. lib. 10 n. 6.* scribit vicinos Principes & civitates ad mare Balthicum coactos fuisse bellum contra eos suscipere, ut libera esset navigatio, &



& Magistrum Crucigerorum Conradum à Jungingen Ann. 1397. classem contra eos instruxisse, illaq; Gotlandiæ insulam occupasse, & piratas, qui ibi latebras habuerunt, eiecisse. Piratarum hæc audacia ne nimis cresceret variè provisum fuit. Ex edicto Prætoris in quadruplum tenentur *l. 1. de inc. naufr.* quod & Impp. Constitutionibus confirmatum, *l. 5. C. de naucl.* Jure Canonico sunt ipso jure excommunicati *c. 3. X. de raptor. c. 2. X. de treu. Et pac. c. si quis Romipet. 24. qv. 3. c. 2.* & possunt impunè lædi *c. si quis 6. caus. 23. q. 3.* & unicuique licitum contra eos tanquam communes hostes insurgere, & eorum navigia (Raubschiff) diripere *auth. navigia C. de furt.*  
Becht.



*Becht. tr. de securit. class. 1. cap. 4.*  
*rb. 128.* Imp. Hadrian. ut de latroni-  
 bus gravem sententiam de illis Præ-  
 sidem dicere debere sanxit, *l. 7. de*  
*incend. ruin.* Latronum autem pœ-  
 na mors est *l. 28. § 10. de pœn. & fur-*  
*ca figendos dicitur in §. 15. d. l.* Ho-  
 die ut grassatores pœna capitali af-  
 ficiendos esse putat *Rem. in Nemes.*  
*Carol. art. 126. lit. 6.* quod & fit, ita ut  
 illis capita abscindantur, & postea  
 juxta portus in terra palo infigan-  
 tur, quod generali consuetudi-  
 ne receptum esse ait *Peck.* Idem &  
 de Receptatoribus verum est. *Bald.*  
*in l. eas C. de furt. l. 3. §. 3. ff. de inc.*  
*ruin. naufr. l. 1. de rec. l. 1. C. de cr. pec.*  
*l. 1. C. Tb. de his qvi latr. Peck. ad l. 3.*  
*ff. de incend. p. 314.* Officium regen-  
 tis qui & mari imperat in hoc ma-  
 ximè situm est, ut naves omni bel-  
 lico



lico apparatu habeat instructas, & piratas omni studio & cura insectetur. Hanc enim ob causam præcipuè vectigalia percipit, ut tutum & innoxium navigantibus præstet transitum, si autem mare à piratis infestetur, transitus ille securus esse nequit. Proinde olim in Imperio Romano certi hisce investigandis fuere præpositi. Sic Svetonius de Augusto refert, illum post bella civilia non tantum in Italia, sed etiam in omnibus reliquis marinis provinciis certos milites aluisse, qui dicti sunt Stationarii, quorum officium fuit persequi piratas & prædones, illosq; Magistratui ad merita supplicia tradere. De quorum officio totus *in ff. reperitur titulus de Curios. & Station.* Erant scilicet illi

G

appa-



apparitores dispersi per provincias,  
 ut Magistratibus denuntiarent cri-  
 mina, quæ perpetrabantur. *l. 1. §. 12.*  
*ff. de Offic. Praef. Urb. Calv. Lex ju-*  
*rid. p. 867. Morisot. in Orb. mar.*  
*lib. 2. cap. 49.* Hodie eo fine ma-  
 rium domini exploratorias seu ex-  
 cursorias naves *Muslagsschiff* habere  
 solent, quibus maris securitatem  
 tutantur & à talibus vomicis pur-  
 gant. Potest etiam Magistratus  
 piratas non solum in suo territo-  
 rio, verùm & in alieno persequi  
 ibiq; comprehendere, ita tamen ut  
 ibi iudicio sistantur, nec in pro-  
 priam jurisdictionem nisi cum isti-  
 us loci magistratus consensu dedu-  
 cantur *l. 1. C. ubi quis de Curial. c. 1.*  
*§. si Judex de pac. tem. Gail. lib. 1.*  
*de pac. publ. c. 16. n. 25. seq. Id. c. 9.*  
 de



*de Arrest. imp. num. 12. Webner in pract. obs. verb. Freybeutter.* Ad petitionem enim Judicis persequentis fieri potest remissio. *Farinac. lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 41.* nec jure Gentium ad aliud Magistratus tenetur, quam ut aut ipse pro merito puniat delicti compertum, aut suo Magistratui puniendum remittat, de cujus remissionis justa postulatione & plerorumque Gentium rebus judicatis vid. *Grot. 2. 21. 4.* Quæritur hic num piratis servanda sit data fides? ad quam quæstionem cum *Grotio de J. B. 3. c. 19. n. 3.* respondemus distinguendo, utrum cum pirata ut tali contractum sit nec ne. Illo enim casu pactum omnino servandum. Etsi enim ob scelus suum, quo societatis humanæ vinculum, fidem nimirum,



solvunt, nullius pars sunt civitatis,  
 adeoq; nullius socialis juris, inter  
 quod jus pacti est, capaces, sed de  
 iis à quovis poena sumi potest, ta-  
 men quo sciens quis cum tali ut tali  
 contrahit, hoc ipso statum dissolu-  
 tæ societatis & jus sociale hætenus  
 redintegrat, ex quo fidem servare  
 jam obligatur. Idem in contracti-  
 bus Juris Gentium obtinet, quos  
 Piratæ super rebus suis ineunt. Hinc  
 Tryphoninus elegantissima *l. 31. §. 1.*  
*v. quod si ego depositum latronum*  
*reddendum respondit, & Marcel-*  
*lus commodati ei dat actionem l. 16.*  
*ff. Commod.* Quæritur porrò, an  
 Magistratus ob prædas à piratis in  
 socios vel amicos actas teneatur?  
 quod tum demum affirmandum  
 censeo, si quantum in se non pro-  
 hibue-



hibuerit. Hinc rectè Grotius Teu-  
 cæ Illyriorum Reginae excusatio-  
 nem improbat *lib. 2. de J. B. c. 21.*  
*Alber. Gentil. lib. 1. de jur. bell. c. 21.*  
*Injustitia enim esse, inquit Cicero*  
*1. Offic. non solum si ipse inferas in-*  
*juriam, sed etiam si ab iis, qui-*  
*bus infertur, non propellas, si pos-*  
*sis. & 3. Offic. Sibi ut quisq; malit,*  
*quod ad usum vite pertinet, quam*  
*alteri acquirere concessum esse non*  
*repugnante natura. Illud verò*  
*naturam non pati, ut aliorum spo-*  
*liis nostras facultates & opes au-*  
*geamus. Neq; verò hoc solum na-*  
*tura sed & legibus populorum ita*  
*constitutum esse, ut non liceat sui*  
*commodi causa nocere alteri. Str.*  
*c. 9. th. 5. Quæritur item, an quis*  
*piratam indicare teneatur? quod*

G 3

à Dd.



à Dd. negatur in *l. civile est C. de furt. Hostiens. in sum. tit. de furt.* limitatur tamen non tantum quod ad conscientia forum *c. 4. X. de furt.* verum & in subditis, utpote qui in criminibus enormibus indicare tenentur, ut & puniantur, nisi indicent. *l. utrum cum gl. Et l. seq. ff. ad L. Pompej. de parric.* Hinc *Bart. in d. l. utrum circa fin.* dicit, quod scientes proditionem contra civitatem & non revelantes puniantur. Et in *l. 1. §. occisorum ff. ad Sc. Syll.* Queritur item, num. protectio maris ejusque à piratis purgatio, & animadversio in eos confestim det dominium maris? quod non existimamus. Quamvis enim facile concedamus eos, qui



particulare maris imperium habent, navibus præfidiariis in illo dispositis posse ac debere mare tueri, prædonibus purgare, atque eos, ut decet, plectere: tutamque transeuntibus navigationem præstare: (conf. *l. un. C. de classic.*) quo nomine etiam vectigal pendi supra dictum est; hoc tamen non est reciprocum, ut, qui mare aut flumen protegit, piratas tollit, statim maris aut fluminis dominium habeat. Protectio enim non dat dominium *c. recepimus in fin. ext. de privil. Gail. 2. obs. 54.* & piratæ tanquam communes generis humani hostes etiam à privatis capi supplicioque tradi possunt, salva tamen Magistratui loci jurisdictione.



dictione criminali, & instructione  
 de modo persequendi piratas. Ac-  
 cedit quod protectio & jurisdictio,  
 quæ etiam temporaria esse potest,  
 à proprietate maris sit distinguen-  
 da. Potest item hostis classe po-  
 tentior & victor imperium maris  
 tenere, sed idem fortuna vertente  
 amittere, vel pace facta priori do-  
 mino restituere, quod obvia pas-  
 sim exempla docent, dominium  
 autem ex sua natura perpetuum est.  
 Sed & classes præsidio navigantium  
 disponere atque piratas punire non  
 ex proprio, sed communi jure de-  
 scendit, quod etiam aliæ liberæ  
 gentes habere possunt. Sic Hollan-  
 di mare aliquando à prædonibus  
 purgarunt, cujus rei signum scopæ  
 malo imposito præferiebant, non  
 tamen



tamen inde sibi maris proprietatem vindicarunt. Illud interim concedendum est inter gentes vicinas ita convenire posse, ut in hac vel illa parte maris capti hujus aut illius Reipublicæ judicio sistantur, atque ad commoditatem distinguendæ jurisdictionis fines describantur, quod ipsos quidem hanc sibi legem dicentes non alios obligat, neque locum alicujus proprium facit, sed jus in personas contrahentium constituit. *Grot. c. 5. de mar. lib. p. 76.* Ad publicum rei maritimæ incommodum porrò delinquunt, qui hostes navibus instruunt. Unde grave crimen eorum habetur, qui conficiendæ navis peritiam ante incognitam barbaris tradiderunt *l. ult. C. de pœn. quod capitali*



tali supplicio vindicatur *d. l. ult.*  
 Illi, qui ex naufragio lucrum cap-  
 tant, in quos intra annum in qua-  
 druplum post annum verò in sim-  
 plum à Prætoꝛe iudicium datur *l. 1.*  
*de incend. ruin. naufr.* Ratio hu-  
 jus edicti evidens est utilitas, & ju-  
 sta severitas, siquidem publicè in-  
 terest nihil ex tali casu rari, tum  
 quia major hic furandi occasio, &  
 custodia rerum est difficilior, adeò  
 ut nulla domino culpa imputa-  
 ri possit rei non benè constitutæ.  
*Trentl. v. 2. disput. 30. th. 2. lit. d.*  
*Wes. par. hic n. 2.* tum quod inhu-  
 manum est, homines ita afflictos  
 fortunis insuper suis, & rebus quæ  
 supersunt evertere & spoliare vel-  
 le. *Bacchov. in Trentl. d. l.* Di-  
 citur autem ex naufragio rapere,  
 qui



qui occasione naufragii eo tempore & loco aufert, quo naufragium fit *l. 1. §. 5. de inc. ruin. naufr.* & in ipsa trepidatione nautæ consistunt *l. 4. eod.* Quid ergo si alio tempore vel post naufragium abstulerit? ratio dubitandi erat, quod res ex naufragio etiam hæ dicantur, quæ in litore post naufragium jacent *§. 5.* Sed magis est ut de eo tempore & loco, quo naufragium fit, vel factum est, si quis rapuerit, in hoc edictum incidisse videatur *d. §. 5. l. 2. l. 3. de incend. rui. naufr.* Qui autem rem in litore jacentem post naufragium factum abstulit in ea conditione est, ut magis fur sit, quam ut hoc edicto teneatur *d. l. 3. v. qvi.* Hoc tamen ita intelligendum est, si aliquod tempus post



naufragium intercesserit, alioquin  
 si in ipso naufragii tempore id ac-  
 ciderit, nihil interest, utrum ex ipso  
 mari quisque rapiat, an ex naufra-  
 giis, an ex litore *l. 5. d. t.* vel ex rate  
 aut nave expugnata *d. l. 5. vers. de*  
*eo.* Rapere autem significat vi tol-  
 lere, & differt alias ab amovere &  
 auferre, quod sine vi fieri potest.  
*l. 3. §. 4. & 5.* hoc loco tamen ob  
 eandem rationem qui abstulit vel  
 amovit hac actione tenetur *d. §. 4.*  
 uti & qui ejecta navi quid rapuit *l. 3.*  
*§. 6.* Imò qui dolo malo recipiunt  
 conveniri possunt, non minus enim  
 delinqvunt quam aggressores *l. 3.*  
*§. 3.* Pessimum enim genus homi-  
 num receptores *l. 1. de recept.* Re-  
 cipere autem est refugium abscon-  
 dendi præstare vel in suo vel in  
 alie-



alieno loco *l. 2. C. de furt.* Præter  
 hoc Prætorum iudicium de rapien-  
 tibus ex naufragio Senatusconsulto  
 cavetur, ut illi qui quid ex miserrima  
 naufragorum fortuna rapuis-  
 sent, lucrativè fuissent dolo malo,  
 in quantum edicto Prætoris actio  
 daretur, tantum & fisco solverent.  
*l. 3. §. 8. de incend. ruin. naufr. vers.*  
*eos*, qua ratione in octuplum pro-  
 re nata condemnari possent. Im-  
 peratores autem ut ostenderent si-  
 bi naufragorum sortem curæ esse  
 Constitutiones super rapto extra-  
 ordinem fecerunt contra eos, qui  
 aliquid ex naufragiis diripuerunt.  
*l. 1. §. 2. ad L. Jul. de vi priv.* Di-  
 vus Hadrianus sanxit, ut si naufra-  
 gia fierent juxta litora & naufragi  
 sibi quid ademptum quærerentur in

G 7

pos-



possessores agrorum Præsides judi-  
 cia darent, ex ratione quod proxi-  
 mi damno præsumantur fecisse, vel  
 non impedivisse, cum debuissent  
 colligere & servare *l. 7. b. t.* Propria  
 igitur culpa non alterius odio pre-  
 muntur. Vicinus enim facta vicini  
 scire præsumitur. *Jas. in l. 18. de  
 acq. her. Oldend. cl. 7. act. 8. num. 3.*  
 Cessat ergo si ignorarint, vel ægri,  
 vel imbelles aut absentes sint, ut  
 non potuerint piratis prævalenti-  
 bus resistere *c. cum tua & ibi Pa-  
 norm. X. qv. matr. accus. poss. Bart.  
 in l. is potest ff. de acquir. hered.  
 n. 71.* Divus Antoninus de his, qui  
 prædam ex naufragiis diripuerant  
 consultus ita rescripsit plurimum  
 interesse, an peritura collegerint,  
 an quæ servari possent flagitiosè in-  
 vaserint, ideoq; si gravior præda vi  
 appe-



appetita videbitur, liberos quidem  
 fustibus caesos in trienniū relegan-  
 dos, aut si fordidiore erunt, in opus  
 publicum ejusdem temporis dan-  
 dos: servos flagellis caesos in metallū  
 damnandos esse. Si verò nō magnæ  
 pecuniæ res fuerint, liberos fustibus  
 servos flagellis caesos dimittendos  
 esse. Et omninò in hujusmodi cau-  
 sis ex personarum conditione & re-  
 rum qualitate diligenter æstiman-  
 dum, ne quid durius, aut remissius  
 constituatur, quam causa postulat.  
*l. 4. §. 1. de incend. rui. naufragio. Petr.*  
*Gregor. Tholosan. in syntagm. jur.*  
*univ. l. 37. c. 3. §. 1.* Ex Senatus con-  
 sulto Claudianis temporibus fa-  
 cto tenetur etiam, qui ex naufragio  
 clavos, vel unum ex his abstule-  
 rit, ita ut omnium rerum nomine  
 teneat.



teneatur. *l. 3. §. 8. de incend. ruin. naufr.* Est autem clavus in navi id, ad quod gubernacula copulantur, quem navis Magister & Gubernator in puppe sedens dat operam, ut rectum teneat. Accursio idem quod gubernaculum esse putat, & olim binos in navi clavos fuisse ait. Secundum quem sensum de clavo ipso & gubernaculis innexis Scitum est intelligendum, si quis nempe unum vel utrumque ex his abstulerit, ut omnium rerum nomine teneatur. Cum enim clavo vel gubernaculis navis caret & spoliata est, quicquid ea continetur necessariam cladem accipiet. Hinc per adagium res salva esse dicitur, dum clavus rectus tenetur. *Erasm. in Chil. 3. cent. 1.* Nam qui clavos aufert hoc videtur

age.



agere vel agere voluisse, ut navis  
 in discrimen adducatur, quæ non  
 debebat ulterius onerari & si quis  
 contra faceret tam gravem expec-  
 taret poenam. Quæritur autem,  
 an salvis an verò amissis tantum re-  
 bus omnium nomine teneatur, qui  
 clavum aufert? & puto etiam sal-  
 vis. Delictum enim ablato clavo  
 jam completum est per contrecta-  
 tionem, nec poena ad damnum re-  
 spicit, & sufficit in re illicita depre-  
 hensum, unde damnum plerumq;  
 existit, cum occasionem præbens  
 damnum dedisse videatur per l.  
*Rhod. naut. c. 10. § 11. tom. 2. Jur.*  
*GræcoRom. l. 30. § 3. ad L. Aquil.* Ex  
 his omnibus patet, quàm irrationa-  
 bilis sit consuetudo illa quibusdam  
 in locis recepta, quæ res naufrago-  
 rum



rum ad dominum illius territorii, quod appellant, spectant, adeoque licet in Gallia sit recepta merito tamen ut iniqua à *Bodino lib. 1. de Rep. c. 10. n. 171.* & à *Petro Rebuffo in LL. Reg. gl. 5. num. 74.* rejicitur. Hinc naturali motus æquitate mutuae amicitiae Imperator *Constantinus in l. 1. C. de naufr.* expressè olim sancivit: quod, si quando naufragio navis appulsa fuerit ad litus, vel si quando aliquam terram attigerit, illa ad priscos dominos pertineat, nec fiscus se interponat: addens hanc rationem quasi interrogando, *quod jus habeat fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* Item *Fridericus II. Imperator in avth. navigia C. de furt. publica lege*  
 con-



consuetudinem hanc ut irrationa-  
 lem condemnavit, & sub poena pub-  
 licationis bonorum, imo & suppli-  
 cii prohibuit. Ex qua authentica si-  
 mul colligi potest contra hanc le-  
 gem non posse induci consuetudi-  
 nem, utpote cum per eam consue-  
 tudo expressè sit prohibita. *Vasq.*  
*part. 2. contro. l. 1. c. 3. Petr. Gre-*  
*gor. Tholos. in syntagm. jur. univers.*  
*lib. 37. c. 3. §. 2. Morisot. in Orb. mar.*  
*lib. c. 19. Idem Carolus V. art. 218.*  
*Const. Crim. constituit, & sublata*  
 omni hac consuetudine tam navi-  
 gia quam bona navigantium Domi-  
 nis suis integra servari iussit. Alia  
 Constitutionum exempla consue-  
 tudinem hanc prohibentium ha-  
 bentur in *auth. cassa C. de SS. Ec-*  
*cles. & auth. omnes peregrini C.*  
*Com. de success.* Item in *Recess. Imp.*  
*de*



*de Ann. 1548. tit. von Handwerker's  
 Söhnen. Plura prætereà de hac ir-  
 rationali consuetudine videri pos-  
 sunt ap. Brunnem. in Comm. ad l. 18.  
 C. de furt. § 1. 1. C. de naufrag.  
 Gail. lib. 1. Observ. § Pruckm. cons. 2.  
 num. 185. vol. 1. Zæs. ad tit. ff. de L.  
 Rhod. num. 12. Selden. de mar. claus.  
 lib. 1. c. 25. § Grot. de jur. Bell. 2. 7. 1.  
 Et nescio quo Gentium jure Annas  
 Mommorantius Magister Equitum  
 in Gallia Legato Cæsaris coram  
 Henrico II. Gallia Rege conque-  
 renti, duas naves ad litus ejectas à  
 Jordane Ursino captas, nixus re-  
 spondit: ea, quæ ad litus ejecta,  
 Gentium jure ad eum, cujus impe-  
 rium in litore, pertinere. Vid. hac  
 de re Stypm. p. 5. de jur. mar. c. 5.  
 Loccen. de ead. mater. lib. 1. c. 7. Str.  
 dis-*



*dissert. de imper. mar. c. 9. th. 11.* His  
deniq; qui à nautis aliquid injustè ex-  
torquent decem librarum auri mul-  
ta proponitur *l. 5. C. de Navic.* Ad  
coërcenda nautarum delicta poenæ  
constituuntur in eum, qui contra  
mandatum Principis navigat, arbi-  
trariè. Fuit alioqvin ordinarium  
navigandi tempus à Kalend. April.  
in diem Kalend. Octobr. *l. quoties*  
*C. de nauif.* quo tempore mare di-  
cebatur apertum, quemadmodum  
à III. Id. Novemb. usque ad VI. Id.  
à Mart. clausum. *Veget. de re mil. 4.*  
*c. 39. Jul. Ferret. de re nav. lib. 11.*  
*§. 2. & 3. Ricciol. in Geogr. & hy-*  
*drogr. lib. 10. c. 14. Petr. Gregor. Tho-*  
*los. in Syntagm. jur. univers. lib. 29.*  
*c. 10. §. 11. Morisott. in Orb. mar. lib. 1.*  
*c. 23. & l. 2. c. 45.* Nec enim omnia  
tem-



tempora apta sunt navigationi, nec  
 integro anno vis & acerbitas maris  
 navigantes patitur, sed quidam  
 menses aptissimi, quidam dubii, re-  
 liqui classibus intractabiles sunt le-  
 ge naturæ inquit *Veget. l. 5. de re  
 mil. c. 4.* Ver aperit navigantibus  
 mare, cujus in principio Favonii  
 hybernum molliunt cœlum, sole  
 Aquarii vigesimam quintam obti-  
 nente partem. Ideò natalis naviga-  
 tionis dies fuit 6. Id. Mart. Attigit  
 id *Virgil. 1. Georg.*

— — — — — Et cum  
 Euriq̄, Zephyriq̄ tonat domus  
 omnia plenis

Rura natant fossis, atq̄ omnis  
 navita Ponto

Humida vela legit. — —

Idem



Idem Poëta Lyricus lib. 1. O. 4.

Solvitur acris hiems grata vice  
veris & Favoni,

Trahuntq; siccas machine ca-  
rinas.

Ex die igitur tertio Id. Nov. usque  
in diem sextū Id. Mart. maria clau-  
debantur *Veget. l. 5. c. 9. Plin. 4. nat.  
hist. 47. Theodoret. de provid. serm. 1.*  
& hac ratione susceptionis neces-  
sitate intra tempora à Kal. April.  
usque ad Kalend. Octob. Imp. Grat.  
& Valent. in *l. 3. C. de Naufrag.* con-  
cluserunt. Observarunt hunc mo-  
rem olim non solūm Romani, &  
tunc mare claudi dixerunt, *Cic. ad  
Quint frat. ibi: atq; adhuc clau-  
sum mare scio fuisse, & Cesar lib. 5.  
ibi. qvas naves cum aliquando fru-  
stra expectasset, ne anni tempore  
navi.*



*navigatione excluderetur, quod  
 æquinoctium suberat, necessario an-  
 gustius milites collocavit. Cassiod.  
 12. lib. var. 24. Horat. 1. Carm. Od. 4.  
 Sveton. in Claud. c. 18. verum &  
 Hollandi, & ante Kal. April. nemi-  
 nem enavigare passi sunt. Keckerm.  
 in curs. Philos. disp. 31. problem. n. 11.  
 Rationem dat Plin. 2. nat. hist. c. 47.  
 Et Veget. d. l. ita, quod lux minima,  
 nox prolixa, nubium densitas, aëris  
 obscuritas, ventorum imbres, vel  
 nivibus geminata sævitia non so-  
 lum classes à pelago, sed etiam  
 commeantes à terrestri itinere de-  
 turbet. Et hoc respectu periculo-  
 sam tempore hyemis navigationem  
 esse leges docent l. 4. §. 1. de hered.  
 inst. l. 38. ex quib. caus. major. l. 6.  
 C. de offic. Rector. Prov. Hinc Virgil.  
 inquit: Quin*



*Quin etiam hyberno moliris sy-*  
*dere classem,*

*Et mediis properas Aquilonibus*  
*ire per altum.*

Attestantur id acta Apostolo-  
rum c. 27. v. 9. ibi: *cum jam esset*  
*navigatio periculi plena, quod*  
*tempus jejunii (Judaici intellige,*  
*decimo die mensis septimi, quo*  
*hircus expiationis efferebatur,*  
*jam præteriisset.* Hodie tamen  
avidæ gentes hæc tempora non  
ita benè observant, uti testatur  
*Cæpoll. de S. R. P. c. 29. n. 5. & de*  
*Venetis, Hollandis, Anglis, Da-*  
*nis juxta Islandiam hyemali*  
*tempore hærentibus res est cui-*  
*vis obvia. Merul. c. 2. diss. de mar.*  
*p. 139.* Hi igitur, si postea quassa-  
tas naves domum referent, sibi,  
avaritiæ & temeritati damna

H impu



imputabunt. Si navicularius fi-  
 scales species avertendo distra-  
 xit, capitali pœna plectendus *l. 7. C. de Navic.* hac tamen adhibita  
 distinctione, an nimirum per-  
 sonæ sint viliores, ubi pœna  
 mortis irrogatur *l. pen. & ult. C. quæ res ven. non poss.* an hone-  
 stiores, qui proscriptionis sty-  
 lum, & omnium bonorum amif-  
 sionem incurrunt. *l. ult. Peck. & Vinn ad l. qui fiscales 7. C. de Na-  
 vic.* Si merces illicitæ in navem  
 positæ sint, navis fisco vindica-  
 tur *l. 2. C. quæ res export.* hic ta-  
 men iterum distingvendum. Si  
 enim Dominus vel vectores na-  
 vis aliquid illicitè in navem im-  
 posuerint, navis fisco vindica-  
 tur; quod si absente domino id  
 à magistro vel gubernatore, aut  
 pro:



proreta, nautave alio factum,  
 ipsi quidem capite puniuntur  
 commissis mercibus, navis autem  
 domino restituitur *l. 11. §. 2. de  
 publ. & vect.* Veteri consuetudine  
 & peculiari quodam jure solent  
 vectores navium & nautæ te-  
 merè jurantes, maledicentes,  
 preces aut sacra negligentes, a-  
 lea ludentes, graviusve delictū  
 committentes, aut multari, aut  
 pro ratione delicti ad malum  
 suo more plecti, aut loris cædi.  
 Non tamen immoderatè suo ju-  
 re utentur, qui hoc usurpant in  
 suos *l. un. C. de emend. serv.* ne  
 modum excedendo Judicū no-  
 tioni subjiciantur Magistri na-  
 vis. Stringentes cultrum aut  
 gladium in alium, etsi non læse-  
 rint eum, tamen quorundam,



statutis nauticis hanc poenam subeunt, ut culter per mediam eorum manum transfixus inter digitos extrahatur, ut ita severitate poenae à cæde & percussione absterreantur. *Vid. art. 24, Jur. naut. Carol. IX, Reg. Svec.* Aliquando pro qualitate delicti sub carinam trahuntur, vel aliter plectuntur. Si nauta aut miles nauticus se opponat Magistro aut Præfecto navis, factionem & tumultum excitet, capitis poenâ meretur. Si gravi procella oborta plures ministri nautici in navi laborantes tumultuario occurfu forte unū ex suis everterint, ita ut præceps in mare decideret & submergeretur, non potest quidem actio adversus omnes ut æqvè reos institui,



stitui, si non intelligatur, à quo  
 everfus sit. *arg. l. 45. §. 3. D. ad L.  
 Aquil.* Examinati tamen è suo-  
 rum numero designabunt reū,  
 si norint, aut juramento se pur-  
 gabunt à facti ignorantia. Si ve-  
 rò manifestetur author, tamen  
 ex impetu & incauté, non ex  
 proposito hoc fecisse præsumi-  
 tur, nisi se studio fecisse probari  
 possit, Judicum autem arbitrio  
 pœna delicti non ex proposito  
 admissi decernetur. Seducens  
 falso lumine navigantes pesca-  
 tor & causam morti præbens ca-  
 pitis quoque pœna meritò ple-  
 ctitur ex sententia *Peckii & Vinn.*  
*in fin. tit. de inc. r. n.* Occidisse e-  
 nim dicitur, qv̄i mortis causam  
 quolibet modo præbuit. *l. 51. D.*

*ad L. Aqu. lib. 15. ff. ad L. Corn.*

*de Sicar.*

H 3

IN-



\* \* \*

# INDEX RERUM.

A.

**A** Dam proprietatem terrae accepit à Deo per donationem c. 8. p. 53, 54, 55. quod probatur auctoritatibus Patrum, ibid.

Admiral quis ita dicatur? c. 10. p. 90. quomodo olim dictus? c. 10. p. 89, 90. Quae ejus insignia? ibid. quod ejus officium? ibid.

Albergum Italis quid? c. 13. p. 122.

Ancoragii jus quale? c. 13. p. 122.

Angariarum etymologia & significatio c. 11. p. 95. Quale sit jus? ib. & p. 96. Inter regalia referuntur c. 10. p. 96. Ab iis nemo excusatur. p. 97. In hujus juris fraudem si quid factum navis publicatur, p. 100. Navis angariate damnū an Princeps prestare



INDEX RERUM.

Stare teneatur? p. 98, 99, 100. Si  
privatus oneri publico onus pro-  
prium consentiente nauclero im-  
posuerit, uterque de damno casu  
post fortuito dato tenetur. p. 98.

C.

Classes Romani perpetuas quatu-  
or in mari habuere, prima mayo-  
res duae praetoriae dictae, Misse-  
nensis & Ravennas ab Augusto  
instituta, duae minores, una in  
Gallia Narbonensi, altera in ipso  
Ponto c. 10. p. 87, 88. ut per has re-  
tinerent imperium maris. ib. Ha-  
buere etiam alias in fluminibus  
p. 88. Quos Magistratus praefe-  
cerint suis classibus p. 89. Hodie  
Admirales dictos p. 90. Classis  
Seleucena Orontis quae? p. 88.

Clavus quid denotet? c. 14. p. 160.

Accursii explicatio de gubernaculis

H 4

culis



## INDEX RERUM.

*culis clavo annexis probatur. ib.*

*Clavum auferens an teneatur  
salvis etiamnum rebus, an verò  
iis demum amissis? p. 161.*

*Communio primæva omnium bo-  
norū rejicitur, ejusq; assertores  
refutantur. c. 8. p. 53, 54. & seq.*

*Crimen læsæ Majestatis quomodo  
in mari perpetretur? c. 14. p. 136.  
quæ ejus pœna? p. 137.*

### D.

*Rex Daniae vi imperii maritimi  
sibi competentis justè alios pro-  
hibet, ne in Islandiam navi-  
gent. c. 13. p. 125.*

*Dominium rerum quo titulo ac-  
quisierint Adami liberi. c. 8. p. 54.*

### E.

*Elisabethæ Angliæ Reginae ad ci-  
vitates Hanseaticas naves suas  
à Classe Anglica contra fœdus  
spo-*



INDEX RERUM.

*conquerentes sapiens responsio.*  
c. 13. p. 129.

F.

*Falsū in mari committentes quomodo puniuntur?* c. 14. p. 139. 140.

G.

*Gentium migrationes.* c. 9. p. 79. 80.

H.

*Helleponti Consularis officii mentio ubi fiat.* c. 4. p. 25.

*Hispanie Rex navigationem in Indias, aliasque insulas ab eo prius occupatas vi dominiū maris sibi acquisiti prohibere potest.* c. 13. p. 125.

I.

*Insula in mari nata ad quem pertineat?* c. 9. p. 83.

L.

*Contra Latrones seu aggressores in mari unicuique licitū est insurgere, & eorum navigia diripere.*

H 5

c. 14.



INDEX RERUM.

c. 14. p. 13. Latronibus investi-  
gandis Romani certos præposu-  
erunt milites. c. 14. p. 145.

Legis 9. ad L. Rhodiam de jactu  
explicatio & sensus c. 8. p. 68, 69,  
70. Ex ea dominiū maris qua-  
drifariam probatur. c. 4. p. 25.

Litus quid idc. 6. p. 33.

M.

Mare domini capax esse ex jure divino  
probatur. c. 2. p. 4. & seq. Gentium po-  
pulorumq; moribus c. 3. p. 9. & seq. Ju-  
ro civili Romano & L. 9. ad L. Rhod.  
de jactu. c. 4. p. 19. & seq. Qui sint ma-  
ris termini? c. 6. p. 33, 34, 35. Quo sensu  
Italis dicatur commune? c. 8. p. 65, 66,  
67. Quo publicum. c. 4. p. 20, 21, 22, Ro-  
manorum dominio subfuit. c. 3. p. 10.  
11. c. 4. p. 20, 21. & seq. Vastum & non-  
dum occupatum præscribi non potest.  
c. 9. p. 81. Possunt tamen partes jam  
tum occupatae & quomodo tempore?  
p. 81.



## INDEX RERUM.

p. 81, 82. *Dominium maris acquiratur per occupationem bellicam* c. 9. p. 78.

Et 79. *accessionem*. p. 82. Et 83. Et *alios modos domini translativos* p. 78, 79.

*Quomodo retineatur?* c. 10. p. 86, 87.

Et seq. *Præfectos maris quos habuerint*

*Romani?* c. 4. p. 25, 26, 27. *Quid sit imperium maris habere?* c. 1. p. 3.

*In merce in portum delata Princeps loci jure imperii habet jus protimiseos.* c. 11.

p. 107, 108.

*Merces illicitas navi imponens quomodo puniatur?* c. 14. p. 170.

## N.

*Naufragorum bona direpta intra fines agrorum restituenda olim à possessoribus prædiorum vicinorum.* cap. 14. p.

157, 158. *nisi ignorarint, ægri, imbelles aut absentes fuerint.* *ibid.* *Ad fiscum non pertinent.* c. 14. p. 162.

*Ex naufragio furantes Et rapientes quomodo puniuntur?* p. 154. Et seq.

*Navis privilegiata non solum ratione*  
mer-



## INDEX RERUM.

- mercium, sed proprio etiam jure an  
teneatur profiteri & publicanis osten-  
dere merces, quodas vebit? c. 11. p. 106  
107. Clavum ex navi auferens an salvis  
etiamnum rebus teneatur? c. 14. p. 161  
Naves excursoria quae? c. 14. p. 146.  
Navicularius fiscales species avertendo  
distrabens capitaliter punitur. c. 14.  
p. 170. Privato imponenti onus pro-  
prium oneri publico consensuens nau-  
clerus aequè ac imponens punitur, si  
postea casu fortuito damnum fuerit  
sequutum. c. 11. p. 89.  
Navigationi modus praescribi c. 13. p. 125  
imo prohiberi potest ibid. & seq.  
Navigandi tempus ordinarium veteribus  
quod fuerit? c. 14. p. 165.  
Noctu navigantes lumine ostenso fallens  
quomodo puniendus? c. 14. p. 173.  
O.  
Classis Seleucena Orontis quae? c. 10 p. 88.  
P.  
Pirata quis? c. 14. p. 14. Synonyma ibid.  
An



## INDEX RERUM,

*An fides ei data servanda sit? c. 14. p. 147, 148. contra eos unicuique licitum est insurgere & eorum navigia diripere. c. 14. p. 143. quæ pœna eorum? p. 144. an quis teneatur indicare piratam? p. 149, 150. An Magistratus ob prædas à piratis in socios vel amicos actus teneatur? p. 148, 149. Magistratus piratas persequens, si in alieno territorio apprehendat, ibi sistere cogitur, nec in propriam jurisdictionem nisi cum istius loci Magistratus consensu deducere potest. p. 146.*

*Piscatio refertur inter jura regalia c. 13. p. 131. à Domino maris prohiberi potest p. 130, 131. Olim quoque aliquantulum restricta fuit. ibid. Facit jure Gentium prædam capientis salvo manente jure prohibendi, cui id competit. p. 132.*

*Portus quid? c. 11. pag. 101. Dicitur aliàs statio. ibid. Jus portus accensetur Regalibus. ibid. Princeps redditus vectigales inde percipiens ad securitatem ingres-*



## INDEX RERUM.

ingressis & egredientibus præstandam,  
damnumq; à prædonibus datum resar-  
ciendum tenetur. c. 12. p. 109, 110. Præ-  
fecti portus officium quæle? c. 11. p. 102.  
Magistratui competit jus Protimiseos  
in merce in portum delata. c. 11. p. 107.  
108.

Protectio num tribuat dominium maris?  
c. 14. p. 150. & seq. (p. 53. 54.

Proprietas à donatione divina cæpit. c. 8.

Publicum est aliquid vel jure Gentium,  
vel jure civili. c. 4. p. 20, 21.

### R.

Remissiones delinquentium jure Gentium  
sunt receptæ. c. 4. p. 147.

### S.

Stapula unde descendat? c. 12. p. 116, 117.  
quæle sit jus? ib. quotuplex sit? ib. suos  
habet gradus, plenius quandoq; quan-  
doq; minus plenum comprehendens. p.  
119. Jus stapulæ ita usurpari debet, ut  
non extendatur ultra licitum, & in spe-  
cialibus ac certis constituatur mercibus  
p. 119, 120.

Sta-



## INDEX RERUM.

*Stationarii milites qui?* c. 14. p. 145.

### T.

*Termini maris qui?* c. 6. p. 34.

*Transitus ab eo impetrandus est, qui cum imperio ibi est, ituro per alterius territorium* c. 13. p. 124. *Qui propter solum periculi metum denegari potest.* ib. *Negatus vindicari non potest.* ib. *Transitu prohiberi res & personæ possunt.* p. 123. & 128. *Maximè instrumenta bellica hostium.* ibid.

### V.

*Vedtigal quid?* c. 12. p. 108, 109. *Quo jure imperetur?* ibid. *Tenentur omnes id solvere, qui immunes non sunt.* p. 110. *Etiam qui per devia transit, cujus insuper res in commissum cadunt.* pag. 113. *Si publicis rebus privata admixta sunt, an ob defraudatum vedtigal & privata in commissum cadant?* p. 115. *Si socius, qui rem communem vehit, non solvat vedtigal, an & alterius socii pars commissa sit?* p. 114, 115.

Si



## INDEX RERUM.


- Si nauta necessitate compulsus in portum devium deferatur, ejus loci vectigal solvere haud tenetur. pag. 113. 114.*  
*Pœna commissi quando in heredes transeat? ibid. Quæ personæ à vectigali immunes sint? p. 111. Res privilegiatæ & immunes quæ? p. 111. 112. in valore monetæ currentis solvi debet. ibid. Ratio exigendi vectigalia. p. 108. 109. 110.*  
*Velorum submitio non novum est inventum c. 11. p. 91. Duplicem habet finem. ibid. & seq.*  
*Venatio olim quibuslibet competebat, hodie autem nemini, nisi cui ab ipsa Majestate fuerit concessa. c. 8. p. 64.*  
*Veneti quo jure mare Adriaticum possideant? c. 9. p. 80. Omnes alios prohibere possunt, ne per eorum mare navigent. c. 13. p. 126.*  
*Vicinum quod dicatur? c. 9. p. 83. 84.*

### X.

- Xerxes Hellesponto verbera inflixit. c. 3. p. 14.*

•• (O) ••





















*Handwritten in blue ink:*  
172 =




**ULB Halle** 3  
005 130 956  



*Handwritten in pencil:*  
172











KK<sup>3.</sup> DE 674<sup>2</sup>  
**JURE MA-**  
**RITIMO,**  
 COMMENDATIO  
 AD  
**MODERNUM RE-**  
 RLIMPUBL. STATUM,  
 OPERA ET STUDIO  
**D. GEORGI JACOBI**  
 LEICKHERRI,  
 Confil. Elect. Saxon. & Ca-  
 non. Wurz.  


---

**DRESDÆ,**  
 sumptibus Michaëlis Güntheri,  
 Anno 1685.  
*Literis Bergenianis.*

